Joannis Wilmii Chronicon Rerum Kempensium.

E Wilmii autographo edidit

Prof. Dr. Gerardus Terwelp.

1901 Progr.-Nr. 485.

A. Wefers'sche Druckerei, (L. & F. Wefers,) Kempen (Rhein).

9Ke
2

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

[S. Pr. z 90.
B]

09.237.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Joannis Wilmii Chronicon Rerum Kempensium.

E Wilmii autographo edidit

Prof. Dr. Gerardus Terwelp.

1901 Progr.-Nr. 485.

A. Wefers'sche Druckerei, (L. & F. Wefers, Kempen (Rhein).

9Ke
2

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HT010427277

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Praefatio editoris.

In bibliotheca Marcoduri urbis in provincia Rhenana sitae codex adservatur chartaceus Joannis Wilmii, ecclesiae nostrae Kempensis vicarii, manu accurate scriptus, cui titulus est »Chronicon rerum Kempensium ex variis ecclesiae Kempensis panchartis et scedis longo tempore collectum et in unum corpus redactum a me Joanne Wilmio, serenissimi electoris Coloniensis commissario, anno 1633«. Huius codicis prologum, qui duas plagulas numeris non insignitas amplectitur, primum sequitur exordium, quo de antiquitate ecclesiae Kempensis (pag. 1—8), deinde rerum Kempensium narratio seu reliqua libri pars, qua, ut auctoris verbis utar, de pastoratu Kempensi agitur (pag. 9—454). Is igitur codex sine dubio illud Joannis Wilmii opus est, cuius Binterim et Mooren in »descriptione archidioecesis Coloniensis« (I. 70. Ed. pr.) mentionem fecerunt, quod equidem iam dudum deperditum esse putaveram. E simillima litterarum scriptura ipsum Wilmium ex his chronicis suis omnes fere pastoratus nostri res memorabiles ab initio urbis usque ad annum millesimum sexcentesimum tricesimum alterum gestas ad verbum plerumque repetivisse mihi persuasi eoque composuisse libello, quem ego abhinc quinque annos, cum codicem Marcoduranum nondum cognovissem, descripsi atque edidi.[1])

[1]) Ad praefationem opusculi mei, quod inscribitur „Joannis Wilmii de pastoratu Kempensi liber", eum, qui hos annorum commentarios legit, relegare velim ac rogare, ut quae in pag. VI—VII per errorem tum scripserim, suo arbitrio benevole corrigat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IV.

Jam in eo est, ut huius codicis a doctore Augustino Schoop, bibliothecae illius, quam supra commemoravi, praefecto, mihi ad textum recognoscendum benignissime commodati partem alteram, qua rerum Kempensium et locorum urbi nostrae vicinorum historia ab anno altero et tricesimo usque ad annum quinquagesimum unum sexti decimi saeculi deducta continetur, typis curem exprimendam, ita tamen, ut paucas prioris partis res memoratu dignas, quae, neque in codice Issumensi neque in narratione historica a Modesto Reiners monacho e Wilmii manuscriptis excerpta inveniuntur, praemittam.

Scripsi Kempenae Idibus Ianuariis anni domini MDCCCCI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De pastoratu Kempensi.

Anno 1336 vixit Sybodo de Huls armiger uti vocatur, qui habuit Sophiam filiam nuptam Eberhardo de Schmalbruch. Primam horum domicellorum Hulsensium mentionem invenio in diplomate s. Engelberti, archiepiscopi Coloniensis, dato coenobio Campensi, in quo pro teste allegatur quidam miles Henricus ab Huls anno 1225. Sybodonis seu filii seu nepotes fuisse videntur Geldolphus ab Huls, cuius filius patri homonymos Geldolphus, qui primo rectori Reinero de Lynt, vicario s. Nicolai Kempenae, duas marcas legavit anno 1375. Geldolphi filius fuisse videtur Matthias ab Huls armiger, de quo anno 1377 mentionem invenio. Matthiae filius vero similiter fuisse videtur Suederus armiger de Huls, qui reliquit filiam Adelheidem, quae nupsit Theoderico de Pelden. Invenitur et quidam eiusdem familiae Arnoldus ab Huls armiger, cuius anniversariam memoriam annotavit Joannes Kuit, vicarius beatissimae virginis anno 1400.

Anno 1400 porta vaccarum Kempenae sancti Nicolai dicta reperitur. Hoc tempore (1466) reverendus pater Joannes Brugmannus, regularis observantiae religiosus, Kempenae aliquoties haerens ibidem concionatus est, mortuus anno 1473 Neomagii, vir sanctus cuius adhuc frequens apud nos memoria. Conradus abbas Werdensis reformationem sui monasterii ab Adamo Meiero, abbate s. Martini Coloniae, institutam non ferens monasterio cum duobus aliis comitibus eiectus est anno 1474.[1]) Anno 1485 sub d. Joanne Arsen pastore Kempensi sacellanus et gloriosissimae virginis Mariae vicarius

[1]) Msc. 1374.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

graves et omnino culpandas inimicitias et controversias habuit, Tilmannus de palude scilicet dictus, cum altero quodam clerico et procuratore causarum aulae Coloniensis Godefrido de Horst eiusque fratre Henrico, e quibus prior Godefridus iracundiae habenas non compescens alterum Tilmannum iam sacris vestibus, casula scilicet et aliis ad missam necessariis, imo in altari beatissimae constitutum et canere parantem sacrilege coram omni populo in festo visitationis beatissimae virginis invadit, caedit et nisi fortiter obstitisset, in terram prostravisset accurrente et eidem succurrente fratre Henrico, quare censuris et poenis ecclesiasticis inodatus agente pastore Joanne ab Arsen excommunicatus est missis Roma litteris apostolicis mihi visis et lectis.

Singularis Hermanni archiepiscopi (Coloniensis) munificentia in ecclesiam Kempensem fuit. In ea enim iuxta summum altare sedem episcopalem poni curavit adeo affabre elaboratam, ut extra nationes eius artificio excitae Kempenam venerint. Nullae fere in eadem commissurae apparent, ut omnino ex uno ligno exsculpta esse videatur. Conopea etiam adeo eleganter in ligno impressa ut vel mitiori materia subiectoque artificiosius exprimi posse minime videantur. Summo etiam altari in eadem ecclesia pulcherrime sculptis imaginibus adornato duas ex fusili aere praeposuit columnas easque striatas, in cuius summitate angeli ad deiparam virginem (conversi) imaginibus aere conflatis exhibentur.

Gerhardi Sistrop vitam ex scriptis ipsius collectam brevi libello consarcinavi, natus est anno 1470 patre Conrado, denatus 1517 Coloniae in profesto s. Alexii.

Eodem anno 1536 moritur Erasmus Roterodamus, vir doctissimus, Basileae, cum esset 70 annorum, vir uti doctus et celebris ita magnus criticus et aliorum scriptorum censor, haeresis infamia tamen immunis, etsi multa scripserit, quae spongia egeant, omnia, tamen censurae ecclesiae Romanae multotiessocnecit, uti latius videre licet in vita Erasmi a me consarcinata ex omnibus eius opusculis velut in unum fasciculum congesta. Anno 1543 Hermannus archiepiscopus a Bucero corruptus librum reformationis ecclesiae titulum prae se ferentem a Bucero conscriptum per totam archi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dioecesim Coloniensem promulgari curat invito capitulo. Quod capitulum mature grassanti haeresi obviam procedens antididagma sive christianae et catholicae religionis propugnationem per delectos a venerabili capitulo doctores edidit et archiepiscopo Hermanno transmisit anno 1543 una cum litteris supplicibus, ne novitatibus a Bucero sparsis cedens archiepiscopus quippiam in praeiudicium catholicae ecclesiae praesumeret. Quibus ille parum motus novitiam religionem libere promulgari sinit Bonnae, Andernaci, Lintzii, Kempenae, ubi clerus solo choro contentus navim ecclesiae novitiae religionis praedicantibus cedere debuit, imo in hospitalis ibidem ecclesia sacra administrare. Et quidem speculiariter Kempenae grassatam haeresim idem antididagma in praefatione ad christianum lectorem docet. Seniorum etiam relatione constat et altaria adhuc demonstrant, eo haereticorum vesaniam Kempenae progressam, ut dolabris acceptis altarium eversionem molirentur, altarium etiam lapidum comminutionem, ut videre licet in altari s. Annae.

A. 1554. Initio conclusum et hinc inde a partibus acceptum, quod abbas Gladbacensis perpetuus rector ecclesiae parochialis Kempensis tempore vacationis per cessum vel decessum personam idoneam sacerdotem saecularem sui seu alterius ordinis cuiuscunque approbati regularem ad examen, quod tamen gratuitum esse debet, et iuramenti fidelitatis receptionem reverendissimo domino archiepiscopo Coloniensi vel gratiae suae successoribus praesentet, quae curam animarum exerceat et alia onera subeat congrua portione sibi reservata, ex qua possit hospitalitatem exercere et iura episcopalia persolvere. 2. Quod iste sic praesentatus et examinatus reverendissimo domino archiepiscopo Coloniensi et successoribus solito et consueto iuramento sit adstrictus obedientiamque debeat in omnibus et per omnia, quae ad ecclesiam et eius administrationem attinent, necnon in iis, quae spectant ad ecclesiam, ab obedientia pro tempore abbatis Gladbacensis sit liber. Ceterum si religiosus examinatus et idoneus repertus fuerit, quoad professionem monachalem obstrictus maneat ut prius. 3. Talis insuper examinatus et idoneus repertus officio suo iuxta ritum catholicae eccle-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

siae fungatur et quoad doctrinam, vitam et mores attinet, pro pascendo grege sibi commisso se diligentem, officiosum et benignum exhibeat, sin minus, praedictus abbas de praescientia et consensu reverendissimi d. archiepiscopi Coloniensis uti ordinarii a praefata cura illum removere possit et valeat et aliam deinceps personam mediante examine ut supra substituere.

4. Abbas item et conventus approbabunt et approbant dimembrationem capellarum s. Anthonii, Scheifban, Osterraidt et aliarum si quae factae sunt, reservatis iuribus pastoralibus.

5. Deinde quod bulla incorporationis, quae Adriani sexti pontificis anno 1526 in Romana curia obtenta huic concordiae et iuribus episcopalibus in nullo obesse, derogare et praeiudicare debeat, quin potius abbas eidem quoad illa renunciat salvis tamen aliis praedictae bullae clausulis hanc concordiam non concernentibus in suo robore duraturis. Postremo abbas et conventus renunciant pensionibus per ipsosmet suos praedecessores solutis, liti, causae, sententiis executorialibus omnibus inde secutis atque super expensis litis fructibusque perceptis omnique damno et interesse, quatenus per reverendissimum et suos successores huic concordiae, quod tamen esse non debet non fuerit contraventum. Quibus praecedentibus mediis dicti domini, archiepiscopus et abbas eorumque capitulum et conventus debent super omnibus eorum differentiis praemissorum occasione subortis finaliter et omnino esse concordati reverendissimusque archiepiscopus una cum suo capitulo, abbas item cum suo conventu pro se et suis successoribus in omnibus et per omnia hanc concordiam firmiter et inviolabiliter absque ulla contradictione volunt et debent observare. Facta haec transactio in insula Caesaris anno 1554 die 25. Februarii.

Anno 1585 indulto Ernesti archiepiscopi Kempensibus venia conceditur fodiendi et a s. Antonio derivandi fluminis „die fleidt“ dicti. Anno 1585 dux Parmensis nomine regis Hispaniarum Venlonam nobis vicinam civitatem expugnavit 28. Junii et eodem anno 26. Julii idem princeps Novesium occupat armata manu, cum ter mille globos in eandem torsisset. Cloutius gubernator cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praedicante haeretico extra domus fenestram suspensus est. Eodem anno et ego circa festum Martini communis huius lucis usuram accepi huicque mundo natus sum.

Anno 1588 d. Godefridus Fabricius dictus Schmeetz, pater Hulsensis conventus, vicarius fit s. Sebastiani, postea Kempenae in monasterio virginum residens organista ecclesiae nostrae ordinarius.

Anno 1593 Novesienses cives militum suorum praesidium adhibita violentia eiecerunt. Anno 1597 Mauritius comes Nassovius Bercam nobis vicinam obsedit, oppugnavit et expugnavit.

Anno 1598 moritur in vicino nobis comitatu Moersensi illustris femina Walburga comes in Nuenar et Moers, quae testamento heredem liberis carens scripsit comitem Mauritium Nassovium, unitarum provinciarum belli ducem, qui Joannem Wilhelmum, Cliviae ducem, ad quem feudi iure devolutus comitatus erat et iam eundem occupaverat, iterum eiecit.

Anno 1605 Wachtendunca civitas Geldriae nobis vicina et ob quotidianas praedas et excursiones nobis vicina nimis a celeberrimo belli duce Carolo Buquoio comite brevi temporis spatio, etsi inexpugnabilis pluribus videretur, expugnata est et Hollandis erepta, etsi una solum parte obsessa ab altera novos milites, qui eandem defenderent, reciperet. Eodem anno Cracovia nobis etiam vicina ab eodem belli duce expugnatur paucorum dierum spatio. Anno 1607 cum in convictu Judoci Han exsisterem Coloniae dubiusque adhuc de certo ineundo statu, Spiram profectus sum ad cameram imperialem, quo praxi et iuris civilis cognitione excultus latam saeculi viam inirem, sed exacto anno reversus motor animorum deus aliam mihi mentem suggessit, ut relicto saeculi naufragoso statu ad ecclesiastici status portum animum applicarem et licet nullo beneficii titulo provisus ad suscipiendos ordines canonibus obstantibus admitti non possem parensque meus matrimonio parum mihi grato me illigare contenderet, auxilio tamen et sponsione pro me facta eximii doctoris Jacobi Hutteri, canonici metropolitani, ad ordines capessendos admissus sum et quo omnem ad saeculi vanitatem reditum mihi occluderem, susceptis prius minoribus prima vice ad subdiaconatus ordinem promotus sum, utinam tanto fructu

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

successuque quanto zelo animoque. Anno 1607 d. Joannes Gelenius Kempensis iuris studio mecum vacans Coloniae, deo ad alia eum vocante et disponente omnia suaviter, fit vicarius s. Judoci Kempenae, postmodum Gualthero Xylandro, regente gymnasii Montani, morituriente ad regimen gymnasii eiusdem vocatur, postea ad altiora conscendens fit canonicus metropolitanus et vicarius generalis decanusque apostolorum. Anno 1608 ego Joannes Wilmius sacerdotio insignitus sum Coloniae a reverendissimo domino Theodoro Riphan Novesiensi suffraganeo mense Martio atque eodem anno primum deo sacrum vigesimo Aprilis obtuli habito simul convivio, quod cohonestavit praenobilis d. satrapa Arnoldus a Wachtendunck, nobilis insuper d. Joannes Ducker Udae habitans, Carolus Husken cellerarius et postea praetor, consulibus Coloniam ad theophoriam profectis. Quo primitiarum die idem satrapa adhuc desiderato carens herede etsi senio gravis et iam capulo proximus in ipso prandio mihi in mensa assidens exoptatum accepit nuntium uxorem filiam sibi genuisse. Quo nuntio non tam ille quam omnes convivae mirifice recreati sunt. Filia haec postmodum aetate maturior satrapae in Brucken in terra Juliacensi matrimonio iuncta est multorum liberorum mater. Anno 1608 serenissimus elector Ferdinandus coadiutor tum Linnae commorans clementissime mihi vicariam s. Josephi conferri curavit dato ad collatores mandato. Qui etsi nonnihil tergiversarentur, rationem tamen mandati habentes eandem mihi contulerunt 26. Aprilis, cum brevi supplici libello suam serenitatem desuper interpellassem. Eodem anno ipso cathedrae s. Petri idem princeps patrem Petrum Muntzium, societatis Jesu sacerdotem, Kempenam misit gratia instituendae catechisticae lectionis frementibus valde et sese conglobantibus haereticis nostris in foro, quorum magna tum seges. Qui cum ad rubeum leonem, nunc cervum dictum, hospitium divertisset, ego ad salutandum eundem adii, quod nullus tam ex clero quam civibus facere praesumebat, tanta erat vesania et malitia haereticorum in patria vigentium. Patrem mea praesentia recreatum ex hospitio eductum ad domum paternam deduxi in eaque cubiculum et hypocaustum, cum eam amplam et spatiosam videret,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sibi elegit, renitentibus non parum parentibus meis partim ob communis populi fremitum ad tumultum spectantem, partim ob hospitis et peregrini et splendidi reverentiam. Hic commorans cum a pastore Renero Bexio nullatenus tam ad catechismum explicandum quam ad populum erudiendum ad altiorem cathedram admitteretur, gravioribus mandatis serenissimi electoris instructus inconsulto pastore munia sua exsequi iubetur. Incipiens ergo catechismum tanta gratia humanitatis et affabilitatis iuventutem sibi devinxit xeniolis rosariis imaginibus, ut eandem prorsus in sua potestate haberet atque ut Orpheum lapides urbesque sequebantur, ut superstitiosa gentilitas finxit, ita hunc patrem non ad ecclesiam solum, sed quocunque se verteret, numerosa iuventus sequebatur. In huius patris locum in continuanda catechesi iubente principe ego successi si non tanto fructu et emolumento, saltem non minori zelo eandemque continuavi quindecim annis. Anno 1608 serenissimus coadiutor Ferdinandus Kempenam venit, ut ecclesiae et religionis admodum nutantis faciem intueretur, cui obviam processere sexaginta et ultra cives. Divertit vero ad domum cellerarii, nunc praetoris Caroli Husken, ubi cum luculentus ei focus exstrueretur, incendii periculum exoritur; excitis vero campanae sonitu civibus mature principe sollertiam civium mirante ignis exstinctus est 26. Aprilis.

Eodem anno iterum Kempenam rediit sua serenitas, ut resurgentis religionis negotium recognosceret secumque Kempenam duxit d. Joannem Hartmannum, sacrosanctae theologiae doctorem et Lintzii pastorem, qui altero adventus sui die convocatis ad domum cellerarii, nunc praetoris Caroli Husken sacerdotibus eosdem examinavit et num potestatem iurisdictionemque confessionum audiendarum haberent, disquisivit et cum defectum non vulgarem hac in re invenisset, omnes ab officio suspendit, ut excepto me pauci essent, qui confessiones exciperent, qui recens sacerdos factus ecclesiae huius nondum membrum eram nullo adhuc beneficio provisus, quod tamen paulo post principis beneficio mihi obvenit. Sacerdotes vero, qui examini interfuerunt, hi subsequi erant: r. d. Renerus Bex pastor, d. Ambrosius Xylander, vicarius s. Bernardi, d. Albertus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bock s. Martini, d. Joannes Gruterus grandaevus s. Anthonii, d. Joannes Simonius beatissimae virginis Mariae, d. Servatius Abelius s. Nicolai, d. Henricus, quem fere praeterieram, Ingenholt dictus iam canonicus s. Andreae, s. Joannis. Qui postmodum accepta potestate iurisdictionis audiendarum confessionum veniam data scedula obtinuerunt.

Intererat horum coronae quidam Albertus Brielius, religiosus Gladbacensis, qui pastoratum in mutatione rerum fere omnium sperans ambiensque Kempenae morabatur, qui superbia tumidus sacellanatum administrabat, qui spe sua excidens Gladbacum remissus tandem carnis philtris inescatus cum succuba ad haereticos transfugiens Zutphaniae ludimagistrum egit in summa paupertate mortuus. Anno 1608 quidam calviniani fermenti Joannes Fassen civis Kempensis ob calumniam blasphemiamque in venerabile sacramentum, quod deum farinaceum — horresco referens — nuncupabat, non tam urbe quam tota dioecesi proscriptus est, postea tamen superiorum venia et conniventia reversus est. Similiter et Joannes Pimpertz, omnium Calvinistarum coryphaeus, ob similem calumniam, qua deum nostris supplicationibus processionibusque magis irritari offendique asserebat quam placari, etiam merito proscriptus est et sic os obstructum est blasphemantium deum et loquentium iniqua. Eodem tempore serenissimus coadiutor clerum reformans pastorem Anradiensem Joannem ob vitam scandalosam et incontinentem captivum abduci et Linnae incarcerari curavit mense Maio. Eodem mense et anno revocatus r. pater Petrus Muntzius, qui hucusque Kempenae haerens catechizavit et concionatus est, rheda principis Linnae commorantis Coloniam vectus 25. Maii. Anno 1608 sedem meam confessionum excipiendarum gratia factam meis impensis fieri curavi primam reliquarum omnium, quam iussu et auctoritate eximii d. commissarii Joannis Hartmanni secundum altare s. Annae poni curavi plurimum renitente Petro Han consule, qui eo loco ius suum allegabat. Eodem anno d. Joannes Rotarius Kempensis, vicarius s. Sebastiani, suum primum deo sacrum Coloniae in ecclesia Betlehemiticarum virginum obtulit 3. Junii. Eodem anno, die 7. Junii mulieres omnis conditionis sese congregarunt et graviter me prae-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sente d. pastorem eo tempore Renerum Bex accusarunt coram d. commissario Hartmanno novum instanter postulantes. Quod audiens d. abbas Arnoldus ab Huckelhoven alium ordinis carmelitici religiosum submisit, qui officio pastoris fungeretur; qui etsi bene concionaretur, ob vocem tamen ingratam et obscuram admitti non potuit a. d. commissario. Anno 1608, die Junii 17. quidam nostrae civitatis nomine Cracht in foro habitans cum tota die cerevisia sese ingurgitasset domum rediens incumbensque media nocte exsiliens lecto vesicae levandae gratia fenestram hunc in finem aperiens titubante nondum decocta crapula capite in plateam delabitur et fracta cervice mane moritur. Eodem die et anno sacelli ad cruces extra portam s. Petri quondam positi et iniuria temporum eversi fundamenta eruere coepimus me potissimum annitente, ut ex erutis lapidibus novum reponeretur. Fuit vero positum antiquum illud in sinistro latere euntibus Kempena illuc in loco, qui iam duobus passibus in agro vicino positus aratro annue vertitur. Ubi vero iam positum sacellum novum, ibidem quondam tres ex lapide cruces visebantur, quae altitudine et magnitudine graves columnis lateritiis terra nonnihil prominentibus impositae erant, quae belli et haeresis nequitia luxatae et pessundatae fuerunt. Eodem anno 1608 cum latomo quodam Coloniensi ratione exstruendi iam dicti sacelli extra portam s. Petri convenimus eique stipulati sumus quadraginta quinque daleros Coloniensis monetae die Julii 15. Trigesimo vero Julii primo primum lapidem posuimus et monente d. Hartmanno visitatore ostiatim singulorum civium aedes eleemosynae colligendae ergo et pecuniae conflandae adiimus ego cum d. Alberto Bock vicario s. Martini, d. Joanne Simonio vicario beatissimae virginis et d. Henrico Jngenholt s. Joannis. Eodem anno Jacobus Menneken seu Fabricius matrimonii vinculo sibi iunxit Catharinam Haas virginem praedivitem, cuius nuptiis ego cum dd. Alberto Bock et Henrico Jngenholt interfui, ecclesiae vero ritu eosdem copulavit d. Joannes Hartmannus visitator et pastor Lintzensis, postmodum decanus Bonnensis. Eodem anno 1608 d. Henricus Jngenholt altaris s. Erasmi in ecclesia Kempensi investituram et possessionem accepit et 13. Augusti primum in eo sacrum celebravit. Anno 1608 cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pastoratus Kempensis per eximium d. doctorem Joannem Hartmannum visitatorem ad diem usque decimum septimum Augusti administratus fuisset, eundem regendum suscepit d. Anno Salmius Tulpiacensis, collegii Germanici alumnus Romae et pro tempore pastor Rechlinghusanus, familiaritate et amicitia in eodem collegio d. Hartmanno coniunctissimus, qui pro honestiori vitae honeste traducendae praesidio eidem Annoni dedit canonicatum, quem habebat in insula Caesaris, qui eidem Annoni ostium aperuit subsequis annis ad decanatum eiusdem collegii. Eodem anno 19. Augusti admodum reverendus et eximius d. Joannes Hartmannus Kempena relicta ad suam ecclesiam Lintzensem rediit deducente eum honoris ergo Annone Salmio novo pastore. Eodem anno 1608 cum erigendi sacelli ad cruces dicti labore distineremur, tanta malitia fuit haereticorum, ut vascula calce repleta nocturno tempore non solum everterent, sed et instrumenta comminuerent, imo partem muri iam erecti de die noctu deicerent idque 4. Septembris. Anno 1608 Anno Salmius novus pastor allata sua suppellectili ex vesta Rechlinghusana Kempenam rediit 22. Septembris. Anno 1608 Catharina Ingenholt, uxor fratris mei Egberti, relictis illi quattuor liberis circa horam sextam vespertinam pomeridianam 5. Octobris obiit. Anno 1608 concilium Tridentinum a. d. pastore Annone Salmio ex ambone publicatum est ipso die apostolorum Simonis et Judae Eodem anno serenissimus Ferdinandus coadiutor reformationi religionis hic Kempenae admodum pessundatae intentus missis Annoni Salmio pastori litteris eidem mandavit, ut convocatis ad sacrarium senatoribus vigore litterarum mandaret, ne deinceps calviniana seu haeretica labe notatum civem in senatorium ordinem adoptarent, uti aliquamdiu iam facere soliti erant. Exclusis enim catholicis solummodo hac faece, qua reliqui constabant, imbutos eligebant et non nisi duo catholici erant scilicet Petrus Han et Boener. Anno 1609 in convictu fui apud d. pastorem Annonem Salmium per unius anni spatium, cui dedi sexaginta daleros Kempenses. Eodem anno 1609 d. praelatus Gladbacensis timens motum aliquem patriae ob mortem principis Joannis Wilhelmi monasterii sui pretiosissimas reliquias utpote caput s. Laurentii et s. Viti Kempenam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

transtulit utpote locum tutiorem latueruntque in aedibus d. secretarii Henrici Nov seu Graff in platea vaccarum, demum tamen alio delata. Anno 1609 serenissimus Ferdinandus coadiutor Coloniensis ecclesiae Kempenae exsistens die dominica mense Aprili processionem nostram circum coemeterium sua illustri praesentia una cum aulicis et militibus cohonestavit albicante in manu rosario. Anno eodem Coloniam et inde Lintzium profectus sum equo cum d. Joanne Bochovio ad eximium d. Joannem Hartmannum commissarium serenissimi electoris, cuius superius aliquoties memini, qui nos humaniter excipiens admodum liberaliter tractavit, ubi et vino honorario a civitate donati sumus 19. Julii. Anno eodem sodalitatem virginum Kempensem Coloniae apud praedicatores consentiente admodum reverendo patre Gisberto Spechtio priore univi et incorporavi sodalitati rosarii ibidem celeberrimae et nomina nostrarum virginum libro communi sodalium inaurato propria manu inscripsi. Quae quo fructu incepta hic floruerit, iudicabunt alii, iudicium melius posteritatis erit. Eodem anno contracta sunt inter fratrem meum Bartholomaeum Wilmium et Margaretham Grafer sponsalia praesentibus utriusque partis parentibus et consanguineis in aedibus Grafer pridie s. Thomae. Anno 1610 mandato serenissimi Ferdinandi principis nostri Kempenae civium delectus est habitus et inventi sexcenti cives et plures, qui armis et militiae usu utiles tempore necessitatis idonei ad defendendam civitatem iudicati sunt. Eodem anno 1610 d. Joannes Gelenius, meus Wicradii, Gladbaci et Coloniae studiorum collega, propensissima voluntate Gualteri Xylandri regentis gymnasii Montani in extremis positi factus eiusdem successor, qui primus ad subsequas dignitates gradus fuit. Eodem anno princeps Aurangiae Mauritius, statuum Hollandiae belli dux, ad Juliacum obsidendum veniens Kempenam transiit non sine omnium nostrum terrore servata tamen disciplina militari. Ipse Mauritius civitatem nostram et ecclesiam ingressus est relicto foris milite. Cum vero omnia curiose lustrasset, ad arcem nostram rediit, postero die abiens Juliacum obsedit auxilio regis Galliae Henrici 4. Qui paulo post in essedo suo interemptus est, expugnavit vero Juliacum nomine duorum principum Neoburgici et Brandeburgici. Juliacum vero de-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fendebat Leopoldus archidux sive Reuschenbergius eius vices gerens nomine imperatoris Rudolphi 2, supremo (sic) feudi domino. Expugnatum vero Juliacum secundo Septembris die, cum mense Julio obsidionem coepissent. Eodem anno, mense Octobri insula Caesaris ob principes Neoburgicum et Brandeburgicum ius in eandem praetendentes vallo amplissimo et milite praesidiario munita est a nostro principe Ferdinando. Eodem anno 1610, mense Novembri ad monasterium s. Nicolai prope Novesium profectus sum ad primum sacrum d. Petri Kloutii, tunc ibidem religiosi, nunc cum laude patris ibidem. Eodem anno, mense Decembri fornacem fusilem maioris hypocausti in domo Sistropiana poni curavi ante octiduum emptam a Michaele Penninghs pretio 20 dalerorum. Eodem anno maius hypocaustum nova calce inductum et novis fenestris a meis dominis confratibus mihi donatis restauratum est et asseribus stratum anno sequenti. Anno 1611 aulam domus meae Sistropianae prorsus deformatam nova calce induci, fenestris vitreis pluribus exornari et novis asseribus sterni curavi textrinam prius cuiusdam textoris. Anno 1612 moritur r. d. Joannes Gruterus vicarius s. Antonii. Anno 1614 moritur r. d. Henricus Loesken pastor Hulsensis podagra. Anno 1615 sub consulatu Petri Wilmii patris mei nundinae hebdomadales die Martis institutae magno civitatis bono. Anno 1615 patres capuccini empto loco Coloniae in platea Machabaeorum 16. Martii novi templi et coenobii primum posuere lapidem, cum anno 1611 primum eo venissent. Anno 1615 gratia patris mei consulis vicariam suam accepit d. Arnoldus, anno 1615 vigesimo Septembris Matthias Wilmius patruus meus longa tabe moritur. Anno 1616 d. Wilhelmus Fonger die 16. Julii primitias celebravit. Anno 1619, Martii 27. praenobilis d. Arnoldus a Wachtendunk, satrapa Kempensis, vir ulteriori vita dignissimus, septuagenario maior moritur, cui Kempenses ob beneficia reipublicae praestita plurimum debent. Moritur vero in hebdomade sancta circa medium duodecimae diei. Cui subrogatur praenobilis d. Constantinus a Newkirchen dictus Nyvenheim principis Ferdinandi placito, apud quem non ultimum gratiae locum obtinebat, cuius et postmodum factus est stabuli magister et cubicularius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XVII.

Anno 1623 munitio illa rhenana infra Bonnam e regione Reindorff in mediis Rheni fluctibus ab Hollandis invito electore Coloniensi excitata et a quadrangulari forma Paffenmutz dicta seu Steffandtswerdt a nostris post longam obsidionem expugnatur. Anno 1624 moritur Nicolaus Halver serarius civis Kempensis, vir admodum pius et devotus, qui ἅπαις hinc discedens omnia sua bona mediocria ad pias causas legavit, domum vero suam patribus religiosis s. Francisci de observantia casu, quo hic domicilium figere intenderent; quod si recusent, iisdem patribus Venlonae agentibus legavit. Cum vero d. Emundus Sylvius eiusdem ordinis membrum non ignobile plurimum eorum Kempenae adventum urgeret apud superiores huiusque rei gratia Brulae agens serenissimo electori locutus fuisset, ille suo vicario generali domino Schulkenio omne negotium commisit. Qui me interpellans et modum rei perficiendae indagans, cum alendis patribus difficultas exigua meo iudicio videretur, principis consensum facile obtinuit. Antea tamen meis litteris interpellaveram admodum reverendum patrem Josephum de Bergaigne ratione testamenti, cuius occasione etsi parva paulatim ad maiora proficere et commodiorem conventus exstruendi locum adipisci possent. Qui mihi respondens Venlona rescripsit se propediem aliquem patrem cum socio missurum. Venit ergo post aliquot septimanas pater Henricus Laurentii postmodum guardianus Aquisgranensis et definitor et Adamus Limmersdorp nondum sacerdos, qui mea mensa et hospitio utentes tandem migrarunt in domum Nicolai supradicti in platea s. Petri iuxta puteum, prope quem deflectimus ad hospitale divertigiumque fit in alteram plateam. Ubi cum satis arcte angusteque agerent et sua sacra celebrarent in hospitalis ecclesia, visum sollicitare pro viridario, domo et horto s. Catharinae. Requirentes igitur praenobilem virum Constantinum a Neukirchen dictum Nivenheimb satrapam nostrum et me Joannem Wilmium pro istius loci obtentione. Hi pastorem d. Conradum Senger utpote ipsius possessorem et vicarium s. Catharinae interpellantes illum admodum difficilem in concessione loci inveniunt, qui tandem interpellationum satur rem totam abbati Gladbacensi utpote pastoratus collatori, a quo vicaria dependebat, perscribit veritus, si

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

omnino in loci concessione diutius obsisteret, se principis serenissimi placito compulsum tandem ipsis eundem cedere debere. Abbas igitur Kempenam veniens e duobus malis minus eligendum ratus satius esse tolerabili pretio illum vendere existimavit quam pastoris detrimento, quem alere tenetur, omnino gratis eundem concedere. Ad emptionem igitur procedentes rogando, instando, litigando, cum ultra mille daleros peterent abbas et pastor, eundem pro septingentis obtinuimus. Ad illum igitur locum habitationem transferentes ibidem coenobii formam auspicati sunt. Anno 1627 in Odenkirchen introduxi pastorem, plurimum contra protestante doctore consiliario toparchae dicto Brewer. Cum ordinem religionis publicarem rebellibus haereticis me undique circumdantibus, mandavi praefecto loci Joanni Nieborgh nomine serenissimi, ut mihi astans ab omni eorum insultu tueretur. Anno 1627 ex mandato serenissimi electoris primum lapidem posui nomine suae serenitatis in ecclesia, qua hodie utuntur patres nostri Franciscani, die 12. Julii. Anno 1628 cum meae Partheniae sodalitatis virginibus et viris iter Romanum tempore quadragesimali incepimus, quod subsequis annis continuatum paulatim admodum Kempenae efflorescere coepit et vigere. Anno 1628, 3. die Novembris serenissimus Neoburgicus, dux Juliae, Cliviae, Montium, Annunciatas virgines Duram vocans eisdem domum et locum exstruendi monasterii assignat. Eodem anno, mense Septembri, ipso Cornelii et Cypriani Gladbacum profectus ad praelatum, capituli Suchtelensis a nobis visitandi caput, partim explorandi animi eius partim consulendi gratia. Qui serenissimo honorem deferens condescendensque prompto animo visitationem in suis paroeciis admisit ut Gladbaci, in Hart, Dülcken. Juliacenses enim antehac non tam iurisdictionem temporalem, qua non tenebantur, quam spiritualem sui metropolitani, qua tenebantur, reiecerunt. Anno 1629 sabbatho post pascha quaedam Gertrudis nomine energumenam se simulans ex terra Juliacensi, ubi oriunda erat, Kempenam iterum veniens — ante quadriennium enim etiam hic exsistens ob frequentes exorcizationes tum adhibitas satis nota — de novo exorcizata est in ecclesia patrum observantium et demum in arce in aula maiore me praesente. Cum vero fraus in dies magis subolere

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nobis inciperet eiusque vociferationes et trepidationes nos parum moverent, praesertim cum aqua communi non consecrata aspersa inconditos exhiberet mores et hostiam non consecratam aeque ut consecratam exhorresceret idque tam hic quam Stralenii, Gladbaci, Geelae in Brabantia et alibi fallendo et defatigando sacerdotes sine respectu illuderet et deciperet, d. ambtmannus Kempensis eandem carceri mancipavit, e quo altero die emissa et exorcizata denuo iterum more solito inconditos clamores edens, cum profana ex profano libro legeremus, privatim a nobis examinata et stricte omnia discussa sunt sub interminatione carnificis, quem venturum asserebamus, ut tandem comperta re veritas manifestaretur. Illa e contra deierans et sese devovens nihil minus quam fraudem agnoscere voluit, quoad tandem reducenda ad carcerem conscientia stimulante rem omnem et fraudem revelaret omnium stupore referens se hactenus studio simulasse a diabolo se obsessam idque pecuniae congregandae ergo. Attoniti haec audientes exprobravimus ei et ante oculos tantam ei malitiam posuimus existimantes plura latere, de veneficio suspecta esse coepit. Secretius cum eadem agens intellego, illam — sub stipulatione tamen silentii — commercium habuisse et concubuisse cum diabolo, quod licet obscure significans ambtmanno dixi, tuto dimitti non posse. Qui hunc examinis labyrinthum vitans virgis eam publice caedi et proscribi fecit 18. Maii. Anno 1630 reverendissimus d. vicarius Joannes Gelenius Kempensis hic in patria haerens in aedibus pastoralibus orsus est sodalitatem venerabilis sacramenti praesentibus ibidem admodum reverendis d. d. Adolpho Pempelfurt sigillifero et decano s. Georgii, Aegidio Gelenio fratre vicarii, theologiae licentiato, Henrico Ingenholt licenciato una cum toto clero Kempensi videlicet admodum reverendo d. pastore Godefrido Kempens et Joanne Wilmio, d. Servatio Abelio, Wilhelmo Rotario seu Funger, Arnoldo Porten, Petro Krosch, Jacobo Mass, Joanne Haffmanno, sacellano Matthaeo Pampis et Paulo Mansaeo iam vicario Judoci, ministro d. vicarii. Qui nomina sua sodalitati dantes fidei professionem iuramentumque flexis poplitibus fecerunt et primum praefectum elegerunt dominum pastorem et me vicepraefectum, secretarium et cum d. Servatio assistentem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

idque undecimo die Septembris in aula maiore domus pastoralis et in eum finem sacerdoti sacrum ordinarium facienti annue legavit 3 imperiales. Anno 1631 vigesimo Maii patres regularis observantiae s. Francisci ecclesiae exstruendae primum posuere lapidem ipso s. Bernardini die cantato foris in loco, ubi verosimiliter summum locandum altare, sacro, quod habuit pater provincialis Bernardinus Vettweiss. Primum vero lapidem posuere serenissimi elector Coloniensis Ferdinandus noster et Wolfgangus Wilhelmus dux Neoburgicus per suos delegatos, qui fuere praenobilis Constantinus a Newkirchen dictus Nyvenheimb, satrapa noster et stabuli magister nostri serenissimi, et nomine Neoburgici principis Joannes Weiss sacerdos et sacellanus. Posito cum benedictionibus primo lapide et sacro peracto ad mensam fuere dicti duo delegati, Joannes Nyvenheimb frater ambtmanni, Theodorus Himbergh, ego cum reverendo domino pastore Linnensi, Hulsensi, aliis plurimis clericis, praetore Carolo Husken et Joanne cellerario filio praetoris cum toto senatu et scabinis, qui nomine communitatis pro consummatione ecclesiae dederunt centum imperiales. Transacto fere epulo apposito iam caseo butyroque terribilis tempestas, qualis unius hominis memoria visa non fuit, exoritur, qua decidente adeo copiosa et horribili grandine omnes segetes comminutae et devastatae sunt circumquaque in circumferentia civitatis nostrae, ut nihil omnino relictum, quod falce et messione dignum fuerit, imo ipsa grandine vitreae fenestrae ecclesiarum et domuum, qua vis venti et mali ferebatur, adeo concussae, confractae et comminutae sunt, ut rei novitate homines in stuporem versi extremum putarent adesse diem. Cum ipsa grandine lapides grandinei caelo lapsi sunt, qui magnitudine commune ovum gallinaceum exaequarent, qui ita in domos fenestrasque detonuerunt, ut obvia quaeque labefactarent. Cives transita tempestate omnia in agris complanata et demolita invenientes fletu et gemitibus omnia complerunt. Anno 1631, mense Novembri pridie s. Martini Sueci regis timore adeo Kempenae distinebamur, ut aliqui civium convasatis rebus suis alio sese transferre cogitarent. Post victoriam illam Lipsensem rex ille Gustavus Adolphus, germanicae libertatis vindex, — ut sui eum appellabant, superior elatior-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que iam Saxoni coniunctus foederatusque per Thuringiam in Franconiam irruens Herbipolim expugnavit, Francofurtum suae potestatis fecit et instar pruinae omnia corripientis circumquaque cuncta sibi subicit et hinc omnis sortis et conditionis hominum praesertim cleri fuga, qui excepta Colonia, Moguntia iam expugnata, vix alibi refugii locum invenire potuit. In Westphalia Landgravius Hassiae omnia devastans suae potestatis fecit Paderborna capta. In Saxonia elector magno apparatu in Bohemiam, Silesiam, Moraviam expeditionem instituit et capta Praga omnia in praedam Saxoni cessere. In collimitio dioecesis Coloniensis nobis imminebant Hollandi Sueco confoederati, qui in ericeto Birckhart congregati dicebantur incursionem velle facere in dioecesim Coloniensem. Hoc terrore constricti et foris aliud nihil audientes quam afflictionem catholicorum vitae suae aliquem taedebat. Imo res nostra adeo languebat in imperio et e contra haereticorum ita progrediebatur, ut de excindenda religione catholica non solum deliberarent, sed superbia tumidi Suecum iam constituerent imperatorem ipsum coronaturi, si ultimus ille conflictus Lutzensis feliciorem exitum habuisset, imo res eo devenerat, ut partitis imperii provinciis quilibet Sueco confoederatus earundem portionem aliquam a rege expostularet regem ita extollentes, ut eundem inverso Sued nomine deum suum facerent et cusos argenteos aureosque nummos ipsius effigie insignitos collo puerorum suorum suspenderent. Quae nimia exaltatio hominis deo displicens causa ruinae maturioris fuit, in ultimo enim conflictu Lutzensi initio proelii misere aliquot vulneribus saucius deus ille et spes omnium rebellium concidit et minae illae, quibus[1]) Italiam se occupaturum et sedem pontificis Romani eversurum comminabatur, in fumum abiere anno 1632. Anno 1632 Hollandi videntes regii militis neglectum resque regias male administrari, suis rebus satagentes magno milite collecto Stralenium, Venlonam, Ruremundam et Traiectum Mosae occupant. Anno 1632, mense Septembri, die 18. moritur Adamus Schmetz ordinis senatorii. Anno 1632 Kempenae in senatum lecti sunt Joannes Houffer, Ilbertus Clompertz,

[1]) Msc.: qua.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Henricus Derpman, Rimboldus Wilmius frater meus et Wilhelmus Linnich.

[Hinc incipit pars altera.] Noster vero serenissimus tribus diebus hic haesit et abituriens a singulis civium aedibus expensas cerevisiae, foeni et avenae et convictus exigens omnibus humanissime ingenti pecunia satisfecit et multis belli capitaneis mandato serenissimi nostri aliquot plaustra vini donata sunt. Anno 1633 initio Maii Hollandi congregato exercitu Bercam obsidione cinxerunt et cuniculis actis graviter civitati imminebant et tandem initio Junii deditione eandem obtinuerunt. Anno 1633, mense Junio Kempenae, Linnae, Urdingae, Udae alibi cives milite, quem noster elector una cum Moguntino electore contra rebelles conscribebant, non parum gravati sunt, qui demum 19. Junii convocati ad delectum accepta prope Coloniam pecunia Rhenum transire iussi in Westphaliam contra Hassum ibidem grassantem mittendi dicebantur. Mense Julio, eodem anno ad liberandam Hammeliam obsidione pressam a Luneburgensi duce et Hassiae Landgravio, Suecici foederis contra imperatorem in istis partibus antesignanis, missa sub comite de Merod aliquot 1000 magna strage caesa sunt, caeso Merod et Mindae mortuo et sic Hammelia 21. Julii transiit in potestatem hostium. Anno 1633 consules Kempenae fuerunt ex senatu Conradus Now et ex communitate Godefridus Schmeetz, e quibus prior Conradus morbo oppressus nondum expleto suo anno moritur, quem anni praecedentis consul Conradus Geer explevit. Anno 1633 Caesarianorum militum dux Fridlandus graviter Saxoni electori imminens eundem cum Brandeburgico electore ad pacem aliquam sectandam compulit. Qua iam sancita stabilitaque altero die more haereticis consueto misso duce Laoburgico novis interiectis et adinventis conditionibus a Fridlandiae duce non admissis eandem resciderunt. Quare iracundia motus dux Caesarianus effusis in militem aliquot millibus imperialium dalerorum exercitum ad fortiter agendum commonens movet in hostem accessione novarum aliquot cohortium adauctum, aggreditur ad pontem Steinaniensem, eosdem sternit profligat superat et plurimis caesis multo maiorem partem ad iuramentum Caesari faciendum compellit, alios captivos abducit Saxonica

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

re non parum labefactata. Victoriam Fridlandus persequens Steinaniam cum ponte munitissimo deditione occupat indeque hostem persequens Francofurtum ad Oderam ad deditionem compellit et praesidio sufficienti urbi imposito in Silesiam redit, Glogoviam Caesari dedi postulat et imperat, tormenta hostium maiora intercepit omnia. Qua victoria mirifice recreati catholici aliquot annis graviter afflicti meliora sperare coeperunt, quae clementissime dare et concedere dignetur ille, in cuius potestate sunt omnium iura regnorum. Anno 1633, mense Novembri, ipso s. Theodori die duae virgines Kempenses Sophia Haffmans, Tilmanni Haffmans filia, renitentibus aliquamdiu parentibus et Margaretha Geer, Petri Geer filia, spirituales meae filiae, illecebris mundi spretis meliora charismata sectantes, quo deo fortius alligarentur, ad securissimum religionis portum superatis innumeris molestiis et huius saeculi pedicis se receperunt Marcoduri in terra Juliacensi, ubi ante paucos annos serenissimi ducis Neoburgici liberalitate Annunciatae virgines fundo donato domicilium figere coeperunt. Anno 1633 patres regularis observantiae s. Francisci Kempenae tempore etsi difficillimo templo suo perficiendo sedulo intenti murorum circumquaque ambitum ad tectum usque promoverunt. Anno 1633 Kempenae consules electi ipso s. Joannis apostoli ex senatu Jacobus Noeter, ex communitate Henricus Brughman sive Honneken. Anno 1634, mense Januario, die 13. rumore Suecorum in Westphalia terribiliter grassantium et ut ferebatur Rhenum secundum Bercam traicientium Kempenae adeo perculsi sumus, ut concurrentibus undique civibus duae civitatis portae fimo aliisque impedimentis occlusae sint et tormenta duo aenea, quae habemus, in medium protracta fuerint. Qui tamen rumor in nihilum recidens nihil veri habebat, nisi quod ducenti Sueci traiecto Rheno prope Urdingam praedium quoddam invadentes equos et primogenitum in eo filium vi abduxerint. Hoc vero terrore nobis imminente quasi gladio Damoclis aliquot annis afflicti aegre exonerari potuimus. Anno 1634, die Februarii secundo neptis mea Maria, Wilhelmi fratris mei Coloniae commorantis filia, sexennis longo et pertinaci trium septimanarum languore et morbo excocta et supra

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aurum obryzum in morbi camino purificata post multas syncopes animique deliquia spiritum deo reddidit magnum sui mihi relinquens desiderium, cum mihi adfuisset semi duobus annis, quam honorifice meis impensis sepeliri curavi non sine rerum mearum dispendio. Anno 1634, mense Februario altero Matthiae apostoli Albertus, dux Fridlandiae, exercitus Caesariani generalissimus, a Caesare ad summos honores provectus, Fridlandia et Megapolitano ducatu ab eodem donatus, haereticorum principum Germaniae Caesari rebellium astu et inescationibus inductus sub specie ineundae pacis ab iisdem interpellatus aliquoties deserto Caesare turpi proditionis crimine se commaculans cum iuramento sibi prius obstrictis aliquot chiliarchis Illo, Kinsky, Neuman, Tertzky et aliis ad hostes transire parabat. Caesar Ferdinandus 2. huius rei monitus gubernatori Egrensi, Huberto Segero Jordano (Devereux) chiliarchae natione Hiberno serio mandat missis litteris, ut eundem seu vivum seu mortuum in dicta civitate commorantem tradat sibique transmittat. Qui mandatis Caesaris parens cum paucis suorum communicato consilio Caesaris voluntatem explicat et sumpto heroico animo domum prius praedictorum chiliarcharum invadit et mensae assidentes tumultuarie cum suis invadit et sclopeto nihil minus cogitantes traicit et obtruncat, postmodum domum Fridlandi cum suis petens arrepta e manibus satellitis ante ostium consistentis bipenni conclave Fridlandi cum suis ascendit et ingressus ducem nihil minus opinantem aggreditur et statim cum bipenni medium transadigit dicens: sic pereant, quotquot Caesari rebelles sunt! Mortuus a militibus e conclavi per gradus pedibus extractus communi curru, quo fimum evehimus, ad arcem vectus fuit. Cum paulo ante cum omni belli apparatu visendo et memorabili, quem Pilsnam, munitam Bohemiae urbem detulerat, divertigium ad hostes facere decrevisset tradita hostibus Pilsna et Egra urbibus, in qua Pilsnensi urbe Caesariani paulo post reppererunt quinque auri milliones et 250 tormenta bellica, quae quanto commodo hostibus nostris obtigissent, tanto detrimento, incommodo, imo fere exitio nostrorum amissa fuissent. Bernardus enim, Saxoniae dux Wimariensis, partium haereticarum generalis, moto exercitu, cui se iungere volebat Fridlandus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Egram et Pilsnam tendens spe iam easdem urbes occupaverat, in qua urbe Egrensi Piccolomini, dux militum Caesarianorum, repperit in relictis Fridlandi rebus 600 milia aureorum, quae etiam hostibus nostris admodum pecuniae inopia laborantibus obvenissent cum civitate, nisi morte praeventus fuisset Fridlandus. Anno 1634, mense Maio patres observantes Kempenae aedificio ecclesiae perficiendo sedulo insistunt illudque ad tectum usque perducturi videntur anno iam dicto. Anno 1634 cum tumultu Suecorum imperiique rebellium susque deque ferrentur omnia caelumque terrae misceretur, hoc est cum imperium Romanum incendiis, depraedationibus, homicidiis, bellis, captivitatibus depopularetur, etiam huius mali scintillae Kempensibus graviter imminebant. Ex Westphalia enim, quam omnino depasti sunt Landgravius Hassiae et dux Luneburgicus, in dioecesim hanc inferiorem aliquot cohortibus transitum facientes praedium Schutten prope Gastendunk iniecto fomite exusserunt et postmodum abductis aliquot captivis graviter nobis imminebant. Faxit deus, ne graviora indignioraque, qualia alibi subditi passi sunt, subeunda nobis supersint, qui alioqui benedictus, quod omnibus fere subversis et gravissimi huius belli aleae alibi subiectis adhuc ipsius beneficio conservati simus. Incendium vero illud accidit 25. Junii noctu. Anno 34, die 18. mensis Julii Kempenae etiam seditionis et tumultus fax quaedam exorta est. Cum enim serenissimus elector noster Ferdinandus debellato toto Westphaliae districtu ab Hassiae Landgravio etiam inferiori dioecesi ad Rhenum metueret, misso Kempenam Joanne Meuter capitaneo cum praesidiario milite, qui humaniter a civibus exceptus admodum gratus eisdem fuit, paulo post rumore advenientis Hassi consternatus dominus satrapa Constantinus a Nyvenheim accersit quendam centurionem Wagener dictum cum trecentis peditibus. Cives summa rerum omnium inopia praecipue panis pressi hisce advenientibus concitato tumultu portas occluserunt et aeris campani signo ordinario dato cives armati conglobantur, custodiae civitatis intendunt. Milites se exclusos videntes mandato satrapae nostri portam angelicam petentes ad s. Hupertum profecturi videbantur. Cum vero ad iactum lapidis processissent, satrapae et Wagener colloquentium in coemeterio nobi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lium nutu et signo subito revocati celerrimo cursu redeuntes demisso ponte per posticum arcis admittuntur. Cives iam concitati e muro haec observantes iterum campanae sonitu exciti correptis praeter arma palis et ligonibus vallum arci obiciunt omnem in urbem ingressum obturantes nec hoc contenti etiam tormentum aeneum in foro positum summa vi et celeritate in plateam arcis petrahunt, vim militum intromissorum per posticum coercituri et mendaci vociferatione linguam in contumeliam calumniasque praecipue in satrapam et magistratum laxarunt parum memores obedientiae et modestiae, quibus superioribus obnoxii erant et quod maioris temeritatis, exoneratis aliquoties sclopetis in portam arcis specimen aliquod rebellionis suae reliquerunt, satrapae potissimum offensi, quod fidei, ut asserebant, parum memor posteriores milites, quos non nisi reversis Bonna consulibus hoc oneris apud serenissimum deprecantibus admittere statuerant, ut iam dixi, per arcem admisisset, innumera opprobria et sputa in eundem evomentes. Reversis Bonna consulibus et nihil solatii pro civibus adferentibus exasperato licet animo sedatiores facti praesidiarium ducentorum numero militem suscipere et inter se partiri dato simul victu debuerunt, quo onere etiam clerus immunis non fuit. Hoc rerum statu ego bis a civibus requisitus arbiter pacis ad d. satrapam admodum exasperatum missus vix seditiosorum cuneos globosque ante arcis introitum penetrare potui. Civibus enim circumdatus singulorum vocibus confuse me interpellantibus adeo aures meas obtuderunt (sic), ut nec intellegere nedum respondere singulis possem duravitque hic tumultus in diem alterum. Eodem anno, mense Augusto cum more civium clerus Kempensis milite praesidiario gravaretur contra immunitatem ecclesiasticam idque a solis quadrumviris, clerus conspirans litteras domino pastori insinuari curat, quibus protestatur, se horis cantandis in ecclesia deinceps interesse nolle eo, quod a pastore desertus civilium onerum gravaminibus premeretur. Pastor intellecta cleri voluntate satrapam adiens consulesque, a quibus intellegit eorum scitu et voluntate clerum non premi, sed quadrumvirorum insolentia, quare misso nuntio Coloniam reverendissimum principem et episcopum Osnaburgensem serenissimi nostri Leodii

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

agentis vices gerentem suis litteris interpellat gravesque querelas desuper deponit, qui quid solatii et consolationis transmissurus, tempus edocebit. Misso postea 18. Augusti mandato reverendissimus Osnaburgensis omnino vetuit, ne clerus ad huiusmodi onera civilia constringeretur. Anno 1634, decimo Augusti ipso s. Laurentii circa noctis medium ob diei praeteriti calorem terribilis tempestas mixta fulminibus et tonitruis inhorruit. Quae uti omnibus aliis terrorem incussit, sic Dusseldorpiensibus praeter metum terribilem civitatis fere exitium attulit, turris enim secundum portam Ratingensem pulvere pyrio seu tormentario repleta igne coelesti correpta tanta vi pulveris disrupta est, ut viciniores aedes horreaque concussa prorsus ad quadraginta usque subversa fuerint cum inhabitantium hominum nece, quorum gemitus et suspiria tertio post die nondum prorsus protritorum sub parietinis et ruderibus exaudita fuerunt, turris vero adeo vi pulveris disiecta, ut nec infima terrae fundamenta reperirentur et quidem lapides angulares maiores vi ignis ad alteram Rheni partem delati referebantur et fenestrae vitreae civitatis omnes fere ista commotione comminutae et eiectae fuerunt et templi ibidem compages adeo quassata, ut fornice collapso rimas ubique contraxerit, cum turri non parum labefactata sit. Mortui sub domorum ruderibus et parietinis inventi sunt centum et viginti, princeps Neoburgicus adeo consternatus, ut familiam alio, in Hambuch scilicet, transtulerit. Anno 1634, die 14. Augusti aliquis ex Zevelen terra Geldriensi ob raptum et violentam constuprationem, quam puellae minorenni in s. Anthonio intulit, in foro Kempensi decollatus est. Anno 34, mense Augusto paulo ante festum s. Joannis satrapae Kempensi praenobili viro Constantino Nyvenheimb a scabinis Kempensibus ad triginta iugera myricae im grossen bruck prope Kagenhorst donata sunt pro foeneto. Anno 34 duae portae Kempenses angelica et s. Petri, quae pontibus carebant hacque ratione exulceratissimo tempore, quo Sueci nobis graviter imminebant, periculo non carebant, pontibus pro maiori urbis securitate provisae sunt non sine gravibus urbis expensis. Anno eodem, sexto Septembris caesis prope Nordlingam in superiore Germania Suecis a Ferdinando 3. rege Hungariae et Bohemiae, res catholicae melius fluere in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

melioremque statum repositae spem omnibus non exiguam et pacis et tranquillitatis maioris concitavere. Anno 1634 ad s. Anthonium vicum nobis vicinum mense Octobri tanto numero, cum contagiosa lues circumquaque invalesceret et praepropera morte multos quotidie tolleret, homines confluxere, ut eorum numerus vix iniri posset, imo uno die ad tria et quattuor millia ex Novesio, Greffradio, Holtum, Gladbaco apparuerint, qui oblationibus suis et votis per s. Anthonium deum placantes huius mali levamen postulabant, quorum frequentia et oblationibus ecclesia non mediocriter ibidem promota et ditata est. Eodem anno 1634 serenissimus Ferdinandus Infans Hispaniae, Romanae ecclesiae cardinalis et archiepiscopus Toletanus, nomine fratris sui Philippi Dominici Victoris regis Hispaniarum, cum in Nordlingensi proelio memorabili regi Hungariae affini suo cum eximio equitum peditumque exercitu fortiter astitisset et hostibus Suecis victoriam extorsisset, per Wederaviam transito Francofurto Coloniam mense Octobri appulit et visitatis trium regum et undecim millium virginum reliquiis 22. Octobris relicta Colonia deducentibus eum serenissimo nostro electore Ferdinando et Anselmo Casimiro, archiepiscopo Moguntino, Juliacum, inde in Brabantiam venit tali pompa ubique et festivitate, qualem tanta maiestas requirere et efflagitare videbatur. Marchio de Aytona, generalis regiae militiae in Belgio dux, cum exercitu triginta millium prope Marcodurum eidem occurrit et hoc suo comitatu eundem in Brabantiam deduxit. Anno 1634, mense Decembri, die 15. moritur consul Tilmannus Haffman circa medium noctis octogenarius et sepultus in ecclesia ad cornu altaris salvatoris. Anno 1634, mense Decembri a die decimo usque ad diem 19. eximius d. Aegidius Gelenius Kempenae haesit et sua scripta in lucem edenda mecum communicavit et manuscripta mea consulens plurima, quae sibi usui fore putavit, scriptis suis inserenda collegit sicque totam trivimus magna utriusque voluptate septimanam sedentes quandoque in meo hypocaustulo usque ad medium noctis modico tempore prandio coenaeque assignato. Abiit vero decimo septimo eiusdem mensis cum d. Arnoldo Groesvelt et eximio d. Henrico Broich, heologiae doctore, convictore meo, canonico Moguntino, ob Suebicos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in imperio motus exulante, qui novem hebdomadibus mensa mea usus fuerat, Coloniam, quae ei patria, reversus est. Anno 1634, die 22. mensis Decembris d. Gerhardus Scheifes senator Kempensis mane surgens bene sanus et incolumis ecclesiam visitat et cum reliquis amicis sepulchrum Tilmanni Haffman tricesimo servando adiens post prandium sensit cardiacam aliquam passionem, quae paulatim invalescens eodem die eundem sternit et inopinata morte in vestibus suis ordinariis hora quarta sustulit, cuius animae deus sit propitius. Anno 1634 ipso s. Joannis apostoli consules Kempenae electi sunt ex senatu frater meus Reinboldus Wilmius, ex communitate Godefridus Hammacher seu Hastert.

Anno 1635 sexto Aprilis in hebdomada sancta die Veneris circa tempus meridianum moritur praetor Kempensis Carolus Husskens aetate et senio gravis, longa tabe excoctus et feria tertia paschatis in ecclesia Kempensi sepelitur non longe a baptisterio. Anno 1635, mense Junio mortuo Joanne Huls, vicario s. Josephi et canonico apostolorum, varii ob multitudinem collatorum ad vicariam Josephi aspirarunt eiusque possessionem ob dissentionem eorum adierunt. D. Leonius secretarius pro tuendo suo iure, quod in eandem vicariam praetendebat, d. Joannem Haffmannum presentavit, qui possessionem occupata domo arripiens praeter aliorum collatorum voluntatem aliquoties celebratis in altari Josephi sacris possessionem continuavit. Primo Julii eodem anno reliqui collatores lineae femininae aegre ferentes praeproperam et sine illorum requisitione factam Haffmanni collationem collatis in unum multorum votis unanimi consensu vicariam contulere d. Arnoldo Muser, vicario s. Sebastiani Kempenae et professori gymnasii Montani iam sacerdoti et ex sanguine collatorum prognato, qui notario et testibus assumptis possessionem domus accepit et celebrato in altari s. Josephi missae officio eandem sibi vindicavit, quo eventu, tempus edocebit. Anno 1635 Hollandi Gallorum praesidio et speciali exercitu freti Traiectum Mosae iam ante triennium ab ipsis captum ascendentes Gallis coniunguntur et in Brabantiam irruentes Thenas expugnant, diripiunt, incendunt et solo aequant nullam rationem habentes personarum religiosarum et praecipue feminei sexus, quem indigne

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praesertim deo devotum constuprantes adeo malitiose tractarunt, ut animam statim effunderent. Inde Diestham petentes occupant deditione, Diestha Lovanium properant, potiorem Brabantiae urbem, quae praesidio multorum millium, quibus imperitabat Grobbendunckius, provisa nihil eorum obsidionem faciebat, fortiter tamen et adhibita magna violentia eandem oppugnantes fortissime reiecti sunt aliquot millium strage. Cum vero parum aut nihil proficerent, commeatu destituti inedia et fame pressi inaudiunt Caesarianorum copias auxiliares magno numero adventare et iam castris regiis appropinquare, quibus praeerat magna fortitudinis et prudentiae laude Cardinalis Infans. Statim relicto Lovanio motis castris fugae sese dant, intra Ruremundam et Venlonam castra metantur. Quos dum regii delectu militum habito paulatim sequuntur, intellegunt Hollandi studio Geldriensium operaque Einholtii fortissimi militis Schenkenschantz munitissimum fortalitium, quo transitus in Veluam Hollandiamque nostris aperitur, nocte, quae diem s. Panthaleonis praecedit, esse captum. Quo nuntio consternati abscissa omni mora stationem suam relinquentes Cliviam versus proficiscuntur, regii vero et Caesariani milites eorum vestigia legentes eosdem insequuntur tum fortalitii conservandi gratia tum etiam hostis profligendi studio. Qui primo Augusti Erckelentium capientes tanto numero Wachtendunckium transeuntes in Cliviam abierunt, ut pro dignitate satis explicari non possit. Horum regiorum et Caesarianorum militum adventu praesertim Croatarum sine disciplina et ordine militari ultro citroque vagantium et obvia quaevis gladio subicientium talis circumquaque fugientium hominum sua bona suppellectilemque Kempenam alibique asportantium concursus fuit praecipue Geldriensium, ad quos crebro pabulatum veniebant, ut pleraeque domus hominibus refertae vix armentis eorum stabulandis locus superesset, quae (pecus) in angulis et circulis platearum haerens nocturno tempore sub frigido Jove inediam patiens mugitibus auram replebat. Civium vero domus ita omnis generis frumenti repletae erant, ut propriarum rerum reponendarum locus minime superesset, quanto fugientium incommodo, tanto urbis et civium emolumento. Cum vero saepenumero commeatus adducendi affe-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rendique gratia exhausta iam Clivia, ubi castra metabant, excurrerent et Croatarum malitia in dies quidam captivarentur et multi occiderentur, hinc omnes familiae in antiqua et nova ecclesia et aliis vicis minutioribus huc transmigrantes audito militum strepitu panico quodammodo timore correpti in sola fuga salutem suam quaerebant idque potissimum mensibus Julio et Augusto anno 1635. Postmodum eodem anno, mensibus Septembri, Octobri et Novembri ingruentium morborum pestilentiae et dysenteriae saevitia populus in terra Clivensi, Geldriensi et in urbe Kempensi adeo imminutus et hinc obtorto quasi collo sublatus est, ut in Clivia et alibi multa praedia habitatore et possessore carerent, integrae familiae exstinguerentur. Quae morbi saevitia etiam Hollandiam pervasit adeoque in ea grassata refertur, ut Lugduni Batavorum pauci superstites manserint, imo aliunde accerserentur, qui iure civitatis et aliis libertatibus donati civitatis ius suo incolatu tuerentur. Superior etiam Germania hac pestilentiae clade libera non fuit ut Moguntia, Wormatia, imo et Colonia eadem fere depopulatae sunt. Anno 1635 ipso Joannis apostoli Kempenae in consules eliguntur ex senatu Joannes Honnecken, ex communitate Martinus Dungels, qui aliquoties hoc, quidquid est oneris et honoris fugiens hoc tempore se subducere solitus hoc anno etiam absens eligitur, eodem anno mortuus. Eodem anno penultimo Decembris regii milites arcem Krickenbeccanam prope Venlonam occuparunt partim, ut Venlonam in Hollandorum potestate positam ab hac parte omni commeatu destituerent, partim communem ut viam Cliviam versus, ubi fortalitium Schenckianum regiis defendendum erat et commeatu novoque milite quandoque instruendum, tutiorem redderent.

Anno 1636, die 15. Januarii moritur frater meus Rimboldus ordinis senatorii consul longa tabe excoctus et in ecclesia Kempensi iuxta sacellum s. Michaelis secundum parentem meum conditus. Anno 1636 fortalitium Schenckianum, quod priore anno Geldriae praesidiarii Hollandis eripuerant, longa obsidione et regiorum somnolentia iterum ab Hollandis deditione capitur circa initium Aprilis. Eodem anno in ecclesia Kempensi altare s. Georgii vetustum et simplici visendum cultu nova tabula exornatum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est et ligneis cancellis circumdatum sumptibus r. d. pastoris Godefridi Kempensis illius vicarii. Eodem anno Kempenae mense Aprili et Maio pestilentia acerbe grassari coepit, multos stravit et abstulit, uti etiam vicinis in locis. Eodem anno in Germania praesertim superiore, ubi continuo bello exhausta omnia, tanta calamitas et miseria fuit, qualis retro aliquot saeculis audita non fuit, praecipue ex inedia et rerum omnium inopia, ut non solum mortui equi, vaccae, bestiae, feles, mures in deliciis aliquibus fuerint, sed et vivi et mortui homines ab aliquibus comesti et absumpti vere referantur Rubeaci et alibi in Alsatia, imo mortuorum hominum cadavera sat diligenter ab esurientium hominum rabie custodiri nequivere. Anno 1636, mense Junio cum Kempenae et alibi terribiliter pestilentia grassaretur et in domo pastorali duae famulae eadem correptae essent, r. d. pastor relicta aliquantisper domo ad me divertit mansitque aliquot diebus noctibusque. Eodem anno, mense Junio eadem lues meam domum invadéns rapuit abstulitque meum iuvenem Petrum Frilings Antonianum mihi admodum gratum, quem tamen pater eius adducto curru ad s. Antonium vexit ibique altero die mortuus. Anno 1636 eadem pestilentia e medio tollitur r. d. Paulus Mansaeus Virsensis, vicarius s. Judoci in ecclesia Kempensi ultimo Junii, qui erat dies lunae, cum priore die Martis mecum in Udt fuisset cum d. Joanne Haffmanno apud praenobilem d. satrapam Joannem Arnoldum bene sanus et incolumis. Anno 1636 ipso Joannis et Pauli martyrum cum levia aliquot tonitrua et fulmina inhorruissent, Bercae terribilis et apud omnem posteritatem memorandus ac miserabilis accidit casus. Coelesti enim igne aliquot centena vasa pyrii pulveris, quadringenta fuisse memorantur, turri alicui arcis iam ante dirutae inclusa corripiuntur et tanto fragore turrim radicibus disiciunt, civitatem concutiunt, aedificia sacra et prophana convellunt quassantque tempore meridiano, ut nullae domus illaesae et ab hac clade immunes referantur, ecclesiae parochialis fornix ita disruptus, ut secure templum ingredi ob casum, quem minitatur, nemo possit; extra urbem in pascuis aliquot armenta et bestiae hoc fragore, a quo longe aberant, interempta sunt, imo quod mirandum excubi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tores in summitate constituti trans Rhenum satis ab urbe seiunctum delati sunt, cum urbs ab ordinibus Hollandiae possideretur. Anno 1636, mense Julio, ipso Margarethae virginis, dum pestilentia Kempenae et alibi terribiliter grassaretur, eadem sublatus Joannes Stephani, ecclesiae nostrae custos, cui successit Theodorus Reepkes ludirector. Anno eodem lue contagiosa grassante Kempenae et plurimos e medio auferente secunda vice decreta processio Wachtenduncam ad s. Sebastianum idque mense Julio detulimusque eodem ingentem cereum 30 librarum, comitata processionem immensa hominum multitudo, inter reliquos honoratiores etiam nobilis et strenuus praefectus et satrapa cum uxore et domesticis suis. Eodem anno eadem lue mortuus est r. d. Arnoldus Porten, vicarius s. Martini et iam per mensem vicarius s. Jodoci, vir simplex et rectus et optimae conversationis, ipso die s. Jacobi, cum adhuc ipso die s. Mariae Magdalenae matutinis interfuisset et mane celebrasset, sepultus ipso s. Annae ante altare s. Sebastiani. Anno 1636, die quarto Augusti insignis illa ecclesiae Hulsensis turris, cum aliquamdiu unius rimae vitio labefactata fuisset, mane circa horam quartam sine omni vicinorum detrimento corruit, altitudine et structura alioqui sua satis conspicua. Eodem anno 1636 d. Servatius Abelius, vicarius s. Annae Kempenae, pridie s. Laurentii fit beneficio consulum vicarius s. Martini succeditque d. Arnoldo. Anno 1636, die 9. Octobris obiit frater meus Bartholomaeus Wilmius tussi et longa pthysi excoctus circa decimam noctis, cuius animae deus sit propitius, sepultus in ecclesia maiore Kempenae iuxta sacellum s. Michaelis apud suos parentes. Anno 1636 pro ecclesia Kempensi pluviale novum flavi coloris byssinum procuravi, pro cuius materia dedi 45 florenos Colonienses, pro confectione et reliquis requisitis dedi 12 florenos Colonienses. Pestis saevitia anno iam dicto, mense Novembri ob calidos autumni humidosque dies adhuc parum remisit, sed urbem pervadens multos quotidie stravit et abstulit. Elegerunt etiam hoc anno in demortuorum senatorum locum quattuor novos senatores providos et honestos viros Nicolaum Claber, Theodorum Honnekes, Theodorum Scheres et Joannem Luffen mense Septembri. Eodem anno, mense Novembri, non sine animi consternatione intel-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lego Coloniae fratrem meum Wilhelmum Wilmium, cum mihi ante tres septimanas Kempenae adfuisset seque cephalico dolore affligi dixisset, diem suum obiise relictis tribus prolibus, cuius animae deus sit propitius; amisi vero anni unius curriculo tres fratres. Anno 1636, ipso s. Joannis apostoli consules eliguntur Kempenae e senatu Henricus Derp, ex communitate Henricus Muser.

Anno 1637, die Januarii 21. obiit r. d. Joannes a Broil, vicarius beatissimae virginis in s. Antonio, cuius animae deus sit propitius, qui me in exsecutorem suum elegit. Anno 1637, cum castrum Ehrenbretstein Confluentinum a Gallo occupatum non parum incommodi superiori Germaniae et accolis Rheni adferens longo tempore obsessum a nostris nullo commeatu iam ultra provisum esset et iam ad deditionem spectaret, Hassiae Landgravius adhuc imperio rebellis consilio et auxilio Hollandorum novo commeatu congregatis 400 curribus siligine et omni commeatus genere instructis illud instruere et providere parabat addito expedito aliquot millium exercitu iam in procinctu exsistente. Joannes de Weerd, Caesariani exercitus dux Coloniae exsistens idipsum intellegens, id sibi minime tolerandum existimans palabundum et in hiberna distributum suum militem colligens opere tumultario transito Rheno hostibus adventantibus sese obicit fortiterque eosdem invadens post trium horarum pugnam in fugam conicit, multos caedit, captivos plurimos abducit et omnem commeatum capit et fugientem hostem persequens victoriam gloriosissimam consequitur pridie purificationis anno dicto. Anno 1637 in fine Februarii et initio Martii r. r. patres observantes novam suam ecclesiam Kempenae ante annos tres aut quattuor erectam suo fastigio seu tecto adornare coeperunt laquearibus seu trabalibus ex abiete lignis ex superiori Germania licet prorsus desolata pestilentia, fame, bello afflictissima allatis. Eodem anno 1637, mense Februario serenissimus Ferdinandus, imperatoris Ferdinandi 2. filius, Ratisponae in comitiis in regem Romanorum, cum iam ante rex Hungariae et Bohemiae electus fuisset, magna solemnitate in praesentia multorum principum electus est. Eodem mense, die 15. invictissimus et potentissimus imperator Ferdinandus 2. hac filii electione, cui ipse interfuit, non parum recreatus Viennam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rediens moritur. Anno 1637, Aprilis die 16. et 17. reverendi patres observantes Kempenae in perficiendo suo templo occupati turriculum summo choro et campanile erexerunt hebdomada prima post festum paschae. Eodem anno, die Maii 12. iidem patres in perficiendo ecclesiae suae novo aedificio seduli subvecta in novam turrim campana maiore priori die consecrata a patre Guardiano Henrico Laurentii dispensatione habita, primo eandem pulsarunt circa secundam pomeridianam. Anno 37, die Maii 29. reverendi patres observantes Kempenae alacriter ecclesiae suae aedificio perficiendo insistentes turri ecclesiae crucem imposuerunt et tritone imposito summopere ad eiusdem perfectionem anhelant. Tritonem sive gallum postero die in vigilia pentecostes, quae incidit in penultimum Maii diem, imposuere opera magistri Georgii, crucem vero concinnavit et fabrifecit Joannes Dixes in platea Judaeorum habitans. Anno 1637, in fine mensis Junii arx Ehrenbretsteinia Confluentiae imminens hactenus a Galliae rege occupata, cui a deficiente ab imperio Romano archiepiscopo Trevirensi Philippo a Soteren tradita erat, fame et inedia compellente ad deditionem compulsa est, praesidio Gallico sese archiepiscopo Coloniensi Ferdinando dedente. Eodem tempore, die 28. Junii admodum reverendus d. Aegidius Gelenius, s. theologiae licentiatus, Colonia ad me venit partim herciscundorum bonorum patrimonialium gratia cum consanguineis, partim conferendorum studiorum nostrorum praecipue Coloniensis historiae a me edendae gratia, morbo tamen febribusque praepeditur, nihil utrobique actum est. Mansit vero mecum diebus quattuordecim utens opera doctoris N. Hortensii medici Novesiensis, qui etiam aliquot diebus eius curandi gratia mihi adfuit meis mensa et hospitio utens. Anno 1637, mense Augusto, ipso s. Genesii martyris Venlona urbs Mosae adsita et nobis vicina in potestate Hollandorum exsistens a serenissimo cardinale, etsi opera Hollandorum probe munita, octo dierum spatio obsessa et acerrime oppugnata praeter omnium opinionem expugnatur catholicorum haud vulgari gaudio et haereticorum consternatione. Eodem anno et mense, die scilicet ultimo Augusti, Ruremunda post paucorum dierum obsidionem a serenissimo cardinale expugnata est obsidione cin-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gentibus Hollandis Bredam iam aliquot mensibus. Hoc tempore, cum Hulsenses suum municipium anno 1624 vallo novisque portis munivissent serenissimo electore consentiente, etiam platea illa, quae ab alterius iurisdictione Moersensis dicitur, similia conata sese etiam munire novis aggeribus anno 1637 incepit Kempensibus aegre ferentibus, in quorum praeiudicium non vulgare vergere id-ipsum videbatur. Facti igitur supplices serenissimo electori mandatum acceperunt, ut tam plateae unius iam dictae quam totius municipii vallum, portas aggeresque diruerent everterentque quanto Hulsensium dolore, tanto Kempensium gaudio, potissimum vero hoc factum est ob quandam omnis generis et conditionis hominum colluviem, Calvinianorum, Anabaptistarum, Lutheranorum, qui alibi proscripti ad istam plateam liberum et tutum receptum asylumque habebant. Mense igitur Septembri, ipso die Prothi et Hyacinthi, Kempenses exsecutionem dicti mandati urgentes domini satrapae consensu et mandato ulterioris morae impatientes praecipue, cum intellegerent Hulsenses missis Bonnam legatis mitigationem mandati aut abolitionem instanter apud serenissimum electorem urgere, sexcentorum civium numero armis, ligonibus, palis stipati in Huls advolarunt praetore Leonio et cellerario praesentibus portas, vallum, murum funditus everterunt, frementibus et omni iniuriarum genere insultantibus Hulsensibus, praecipue mulieribus linguae gladio obstrepentibus et lapidum iactatione mentis impotentiam ostendentibus. Postmodum Bonnae mitigationem mandati Kempensibus dati Hulsenses urgentes impetrant prioris mandati abolitionem et Kempenses monentur a principe, ne ulterius Hulsensibus molesti essent, quod eo facilius impetrarunt, quod platea Moersensis ab opere incepto se desituram promisisset. Postmodum mense Septembri, anno eodem, nostri iterum missis Bonnam consulibus Henrico Derp et aliis de novo sollicitarunt eandem serram trahentes humillime rogantes, ut serenissimi mandato Hulsensibus inhiberetur nova munitio et post longam utriusque partis disceptationem Bonnae impetrarunt Kempenses commissarios, qui in Huls venientes omnia oculis subicerent, quorum relatione tota res nixa utramque partem adhuc suspensam tenet, quo eventu, exitus docebit, utinam quanto utriusque partis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

impendio sumptibusque, tanto utriusque commodo gaudioque. Intellego tamen postmodum, Hulsenses post reditum commissariorum Bonnam impetrasse veniam restaurandi ea, quae a Kempensibus eversa et demolita fuerunt, non sine Kempensium consternatione et dolore. Eodem mense Septembri munitissima Brabantiae civitas Bredana ab Hollandis Gallo confoederatis post aliquot mensium obsidionem oppugnationemque gravissimam, potissimum ob pulveris sulphurei defectum expugnata est, quanto catholicorum incommodo et dolore, tanto Hollandorum detrimento et rei bellicae labefactatione et multorum millium exercitatissimorum militum, ducum, tribunorum amissione, qui obsessorum fortitudine et alacritate missi, ubi nunc dominantur Tullus et Ancus.[1]) Anno 1637, die Decembris 5. quidam insignis praedo dictus Joannes Hulsman paffenfeindt, qui Suecis contra Romanum imperium inserviens etsi capitaneus in pago Ketwiger bruck omnibus vicinis, utpote Montensibus, Coloniensibus praecipue, Marcanis aliis admodum infestus et gravis, praedae et rapinae omnia subiciens captivansque multos et indigne tractans Werdae a nostris capitur et inde ad insulam Caesaris mandato serenissimi electoris mittitur, ab insula Caesaris eiusdem mandato Kempenam ibique in foro decollatur. Anno 1637, ipso s. Joannis apostoli Kempenses in consules elegerunt d. d. Wilhelmum Linnich ordinis senatorii virum et Joannem Koy, quo tempore Caesariani milites transita Kempena ad hibernandum in Cliviam profecti sunt, quibus panem, cervisiam et vinum Wilichium transmisimus. Anno 1637 in fine Decembris in vicinia nostra Wachtenduncae moritur vir aetate et senio gravis domicellus in Geleyen, Wachtendunck, Rossum etc. magno subditorum dolore, quos auctoritate, qua plurimum pollebat, fide et religione catholica magna pace regebat et in officio continebat, pietate in deum singulari admodum conspicuus. Omni fere die, nisi morbo praepeditus fuisset, ad sacellum s. Sebastiani extra urbem Wachtenduncam positum devotionis gratia ire solebat, evocatus vero ab hac luce, cum annum aetatis 96. explevisset.

---

[1]) Cfr. Horat. carm. 4, 7, 15.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXXVIII.

Anno 1638 Wachtenduncam profecta praetoris uxor Margaretha Knops, ut filiam Annam ibidem nuptam et hic ob partum aliquamdiu demoratam reduceret, ibidem infirmata moritur morte satis inopina die Januarii 7. et decimo Januarii Kempenae in ecclesia sepelitur. In fine anni prioris, nempe in festis natalitiis Christi, anno scilicet 1637, moritur vir aetate et senio gravis nonagenarius scilicet d. Jacobus Hutterus, sacrosanctae theologiae doctor, patria Kempensis, aedis metropolitanae canonicus, cuius animae deus sit propitius. Eodem anno 1638, mense Januario Caesareus miles in proximis Juliae pagis hibernans Juliae limite omnino comprehendi non potuit, sed magis nobis Kempensibus in dies appropians Virsenae, Greeffradii, Lobberich commorabatur; qui etsi nostri serenissimi electoris Ferdinandi vigilantia et auctoritate nostris finibus abarceretur, saepius tamen magno sumptu numeroque panem, cervisiam, carnes submittere eidemque subministrare debuimus. Eodem anno, mense Martio bello Gallico cum imperatore Ferdinando 3. durante Bernardus Vinariensis, dux Saxoniae Lutheranus Gallo militans per Lotharingiam in Alsatiam movens Reinfeldium obsidens expedito milite occupare magno conatu sategit, cui obviam contractis tumultuario opere Caesareis copiis invictus belli dux Joannes de Weert progressus hostem bis terve animose aggressus vicit, praedicto oppido cedere coegit et relictis omnibus belli impedimentis profligavit, qui tamen submissis aliquot subsidiariis Gallorum copiis iterum sese recolligens auxilio Basiliensium transmisso ibidem ponte et restaurato suo exercitu nostros iterum invadit et priore proelio defatigatos acerrime adoritur fortissime se defendente et rem gerente Joanne de Weert, sed hostium numero adobrutus ille capitur, peditatus sternitur reliquis militibus fugae praesidio sese salvantibus, particularia et rei gestae seriem succesu temporis intellegemus. Anno 1638 templum parochiale Kempenae admodum insigne dealbatum est et nova calce inductum idque circa festum ascensionis domini. Anno eodem, cum omnia susque deque ferrentur in imperio Romano, Galliae rege in Flandria Andomaropolim obsidente et in superiore Germania in Alsatia omnia devastante, Hollandi cum eodem confoederati Antverpiam urbem, ocellum Germaniae,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

intercipere molientes nocte intempesta fortalitium Callo eidem urbi adsitum intercipiunt et expugnant et statim novo aggere tumultuario opere exstructo vicinae munitioni s. Mariae viciniori Antverpiae fortiorique graviter imminent, sed serenissimi cardinalis Hispaniarum vigilantia cuncta in celeritate posita iudicantis extemplo commendat Marchioni de Lede, Cantelmo aliis, ut festinato opere in hostem irruentes eundem ex Callo munitione eicerent, qui haud segniter provinciam administrantes fortissime in hostem procedunt, instant, profligant, caedunt, quoad munitione relicta dissipatus fugae sese committeret, in qua plurimi caesi, plures locis paludosis aquisque vicinis absorpti haustique, plurimi etiam capti sunt adeo quidem, ut omnia hospitalia hospitiaque captivis plena fuerint et in universum septem millia periisse ferantur idque in fine mensis Junii. Eodem tempore etiam Galli duce Castillionaeo etiam in Flandria infeliciter cum nostris congressi sunt et in superiore Germania Vinariensis dux et dux Longovillaeus cum duce Lotharingiae Carolo infelicissime. Anno 1638 Kempenae in monasterio regularis observantiae s. Francisci quidam pater Lucas nomine, cum spatium viginti annorum in eodem ordine contrivisset, leviter desciscens deposito ordinis et philosophiae habitu militiam secutus est non sine ordinis dolore et communis populi scandalo. Eodem tempore et anno, mense Augusto, cum exitiales Germaniae motus nondum deferbuissent et omnes Germaniae angulos secundus Mars depasceret, ipso assumptionis gloriosissimae virginis Mariae Kempenae panico quodam timore perculsi intellegimus ordinis Hollandiae confoederatos una cum Palatini comitis milite Bercae congregari et pro communis populi rumore intendere in dioecesim Coloniensem incurrere, et haec variis hinc inde nuntiis intempesta nocte referuntur nobis. Somno igitur exciti summae campanae sonitu ad arma provolamus et ea, quae defensionis sunt, praeparamus, quo successu exituque, tempus edocebit. Postmodum melius informati intellegimus Hollandos ingenti instructos exercitu occupandae Geldriae studio adventasse in eumque finem triplici vallo circumdedisse civitatem, Nersam omnem solito alveo occluso ab urbe seclusisse, ut molendis frugibus molae ibidem usus incolis adimeretur. His et similibus modis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum in dies vallo et loricis erigendis sese adversum Hispaniae regem eiusque insultum muniissent Hollandi, serenissimus Hispaniarum cardinalis regis frater celeritate, qua potuit, etsi alibi in Flandria Gallorum incursibus destineretur, subito collecto milite praeter spem Hollandorum advolat Caesariano milite adiutus et animose unum eorundem vallorum versus Mosam, quod Nersae fluvio circumdederant, aggreditur et fortiter expugnat caeso praesidiario fere milite, captis sex campestribus tormentis et magno adversariorum apparatu et hac ratione viam sibi aperuit in ipsam Geldriam consternato non parum hoste, qui tamen etsi liberata urbe moram ibidem nectens aliquamdiu ibidem haesit principe Auriaco in Hertenfelt stativa sua habente. Facta vero haec sunt vigesima sexta et subsequis diebus mensis Augusti 1638. Tandem ultimo Augusti die et quidem vespertino tempore circa decimam noctis Hollandi discesserunt Bercam versus. Eodem anno, mense Septembri Galliae rex Ludovicus 13. cum rege Hispaniarum Philippo 4. et Romanorum imperatore Ferdinando 3. et reliquis catholicis in imperio Romano bellum gerens ipse licet catholicus Fontarabiam civitatem maritimam in regno Navarrae portus opportunitate celebrem, duce Condaeo et archiepiscopo Burdegalensi obsedit et cuniculis fodiendis acerrime oppugnavit nihil eorum omittens, quae ad expugnandam civitatem facere videbantur. Hispanus periculi magnitudine motus subito coacto exercitu suis in succursum properat, Gallos adoritur, sternit, caedit tantoque pavore perculit, ut in effusam fugam versi omnes stationem suam desererent nequidquam obtestante et renitente Condaeo. Hispani videntes se propitio numine dimicare acrius instantes omnia belli impedimenta intercepere praedae omnia subicientes. Condaeus equi beneficio salvatus cum paucis aliis Baionam se recepit. Hac victoria laeti Hispani in Belgio, Geldriae, Venlonae, Stralenii, Ruremundae explosis tormentis ipso s. Michaelis mirifice triumpharunt. Eodem mense Septembri, anno iam dicto, imaginem deiparae virginis reginae coeli et terrae, unicae meae apud deum patronae, domi meae sculpi et adornari curavi. Mense Octobri, eodem anno, Palatini comitis Frederici quarti filii vagabundi et exules in imperio armis suis catholicis adhuc infesti, cum bis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

terve in Westphalia infeliciter nobiscum pugnassent, demum ab Hatzfeldio comite intra Werram et Visurgim fluvios caesi sunt fere internecione, plurimi capti, multi aquis hausti, impedimenta bellica capta, ipsi Palatini filii alter captus, alter submersus refertur. Eodem anno 1638 inter ducem Neoburgicum Dusseldorpii residentem et civitatem Novesiensem vicinam ob prata pascuaque Rheni alluvione Novesiensibus aggesta controversia ut antehac saepius iam iterum oborta est, quae caede aliquot Novesiensium adeo exasperata, ut abactione pecudum et utriusque partis violentia et civium captivitate aliquamdiu res gesta sit et timendum, ne cruento et periculoso exitu ea res finem sortiatur. Postmodum mense Decembri eiusdem anni per certos utrimque constitutos commissarios dimissis ab utraque parte captivis lis haec composita est, quibus vero conditionibus ut curiosi est indagare, sic hominis abutentis otio videbitur singula quaeque scrutari et consignare. Eodem anno et mense diaeta Bonnae a serenissimo indicta toti archidioecesi, ad quam et nostri consules profecti sunt. Eodem anno, in profesto s. Thomae apostoli, die Decembris 20. terribilis inhorruit tempestas mixta tonitruis et fulgure, pluvia et grandine, qua concussae domus non parum periclitabantur alieno sane anni tempore, imminebat vero lunae eclipsis, quae utique horum motuum operatrix fuit, superiora enim dominantur in haec inferiora. Ipso Joannis apostoli novi electi consules Kempenae ex senatorio ordine Ilbertus Klompert, ex sorte vero civium Gerhardus Honneken in platea vaccarum.

Anno 1639, ipso circumcisionis et novi anni auspicio per magistratum saecularem duae famulae pastoris in Vorst Petri Wolteri, controversiam a saeculo inauditam cum suis parochianis foventis et cum eisdem iure disceptantis Coloniae, Kempenam allatae sunt ob concubitus suspicionem non exigua totius cleri ignominia. Mense Januario capta est non sine rei catholicae labefactatione et catholicorum consternatione et dolore munitissima civitas Brisacensis a Bernardo duce Vinariensi nomine regis Galliae Ludovici 13. Eodem anno 1639 Caesariani milites uti anno priori iterum hibernarunt in ditione Juliacensi, Montensi et Clivensi, quibus subditi praeter pecuniam, victum et amictum non sine eorum summa

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

contritione praestare debebant. Eodem anno, mense Aprili Moersenses vicini nostri Caesarianis militibus in Clivia hibernantibus instar Clivensium quattuordecim millia imperialium consentiente principe Auriaco eorum domino contribuere debuerunt et Kempenae eadem pecunia iisdem numerata est. Anno 39, mense Julio, ipso visitationis beatissimae virginis Mariae die, hora 7. matutina Coloniae moritur d. Henricus Ingenholt, canonicus s. Andreae et vicarius s. Joannis ecclesiae Kempensis, cui d. Carolus Husken successit. Joannes Buntgen praetor Hulsensis, vir integerrimus et spectabilis, zelo fidei catholicae insignis, mihi admodum familiaris, eodem anno, mense Septembri, ab hac lubricae vitae statione evocatus est et nono Septembris in ecclesia Hulsensi terrae mandatus est. Eodem anno, mense Octobri, Christina Geer, Conradi Geer viri consularis uxor, femina admodum pia et deo devota ad eum, ad quem toties suspiravit, relicto corporis sui gurgustico abiit. Eodem anno, mense Novembri, quidam caecus et omni oculorum usu destitutus litteris magnatum commendatitiis instructus Kempenae apparens eleemosynam a communitate exegit et accepit, in Darder vero domo hospitii iure utens in eadem cistam in quodam secessu aperuit ex eaque multa subripiens civitate consulum iussu profligatus est, ancilla vero domus iam dictae eundem insequens cingulum argenteum, quo fraudata erat, ab eodem repetiit et recepit. Eodem anno, die 15. Novembris, Kempenam venit reverendissimus abbas Sibergensis Bertramus Bellinchusen eximio comitatu sexaginta equitum stipatus, ad cellerarium nostrum d. Joannem Husken divertit et altero die Stralenum profectus ibidem solenniter uti fundi dominus receptus et inauguratus est. Eodem tempore Kempenae haesit reverendissimus dominus praelatus Gladbacensis Petrus Sibenius, quocum pransus sum ipso die s. Othmari. Eodem mense serenissimus et reverendissimus elector Coloniensis Ferdinandus, postquam Leodienses per aliquot annos eidem per rebellionem obstreperi et inobedientes fuissent et eiecto aliquoties clero susque deque omnia haberent, imo caelum terrae commiscuissent, tandem compositione interveniente eidem (sic) serenissimo reconciliati sunt, qui ad eorum instantiam ad vicinam Leodii civitatem pergens magna solennitate ab eisdem exceptus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est et restantes aliquot annis debitae servitutis pecunias exsolverunt eundemque aliquot millium imperialium dalerorum summa donarunt. Anno eodem, mense Decembri, Kempenae in consules electi ex ordine senatorio Joannes Louffen, ex communitate vero Adamus Huls affinitate mihi iunctus.

Anno 1640, mense Januario, ob metum Suecorum Gallorumque undique dioecesi Coloniensi imminentium et extrema nobis minantium delectus rusticorum foris ad s. Petrum est habitus, quibus loco capitanei praepositus est Joannes Willemss, satrapae in arce minister, qui Bonnam et ad Mosellam missi cum aliis satrapiarum rusticis transitum hostium cohibituri sunt. Eodem mense et anno Caesariani et nominatim Lamboius hibernare volens cum suo milite in ducatu Juliacensi Dulckenam adhibita vi occupavit et Gladbacum pergens itidem occupat, non sine subditorum consternatione et detrimento. Anno 1640, mense Januario, ob metum hostium imminentium delectus civium in foro Kempensi est habitus eo fine, ut tempore necessitatis de viribus et numero civium liquido constaret. Eodem anno, 4. Aprilis in crepusculo matutino circa medium secundae aut circiter luna fulgente sudo claroque caelo terribilis praevio ingenti mugitu fremituque terraemotus Kempenae et vicinis locis accidit vehementi trepidatione domorum et concussione aedificiorum cunctos terrefaciens, qua tantopere domus mea aliorumque concussa est, ut angusto meo lectulo fere excussus fuerim. Anno 40, cum Hollandi initio Augusti iterum Geldriam, stimulum oculorum suorum, obsidione cinxissent et iam aliquot diebus pluente caelo ibidem haesissent, intellegunt Marchionem de Lede et comitem de Fontaine cum expedito regis exercitu in subsidium Geldrorum appropinquare, iam Venlonae castra metari, quare omni spe Geldriae potiundae destituti noctis medio incensis tentoriis casisque fugientes versus Bercam regiorum adventum praestolari non fuere ausi idque ipso Dominici seu 4. Augusti. Anno 40 serenissimus elector et archiepiscopus Coloniensis Ferdinandus ad dedicationem et consecrationem ecclesiae patrum observantium, quam in propria persona peregit reverendissimus et illustrissimus princeps et episcopus Osnaburgensis Franciscus Wilhelmus maxima sane solennitate, ipso

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

decollationis s. Joannis Kempenam venit cum iuniore duce Bavariae et insigni comitatu, mansit vero in penultimum Augusti diem. Ex cuius comitatu ad me diverterunt tres societatis Jesu patres, e quibus pater Adrianus Horns serenissimi confessarius et pater N. Eltinck confessarius reverendissimi Osnaburgensis et quidam pater Nicolaus confessarius iunioris ducis Bavariae. Et exsistens in arce honorario vino, avena et aliis rebus a subditis donatus fuit, apud quem gratiosissimam ipso decollationis Joannis circa vesperum audientiam habui in arce Kempensi per unam fere horam, uti et apud illustrissimum episcopum Osnaburgensem, qui nova commissione per dioecesim me onerantes plurima gratiae indicia et propensissimae voluntatis in me significationes reliquere. Penultimo Augusti, die s. scilicet Paulini Linnam ad venationem rediere. Statim post abitum principis admodum periculoso et exitiali incipiebam decumbere morbo, quo per sex septimanas gravissime decumbens domo mea nunquam egressus fui, sed deo miserante febribus superatis in fine Octobris reconvalescere et nonnihil melius habere coepi et in festo sanctorum omnium ecclesiam diu a me non visitatam iterum more solito visitare coepi. Eodem anno, cum priore mense Septembri omnia in Germania adhuc bello vastarentur et Caesareus exercitus in Hassia contra Sueciae generalem Joannem Bannirium castra metaretur, Hassi duce Ravenhaubt Calcariam in Clivia interceperunt intempesta nocte. Qui nobis graviter imminentes in dies hostilia denuntiarunt, quare Kempenses territi sese munierunt et satrapae volenti conscribere militem sese opposuerunt, quo fine et successu, tempus edocebit. Principis tamen mandato, quod proposito periculo satrapa elicuerat, aliquot manipuli turmaeque militum conscripti sunt magno totius communitatis sumptu, quibus veluti capitaneus praepositus satrapae filius, puer novem seu decem annorum, qui singulis mensibus pro suo stipendio habebit 60 imperiales, ut vel hinc coniectura fieri possit, quid ceteri sint milites accepturi. Huic militum conscriptioni etsi quadrumviri et communitas reclamaret, ceteri tamen e magistratu cum scabinis os aperire non audentes superioribus applaudere civitate etiam pereunte maluerunt. Hassi interea ex Calcaria longe lateque in dioecesim

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sese effundentes praedabundi Coloniam usque excurrentes omnis sortis et conditionis homines abducunt eosque gravi lytro multantes ad sua remittunt. Cum vero nocturno tempore Kempenam transeuntes iam praeda onusti vicinis molesti essent, Kempenae aliquoties tota nocte motae sunt campanae, ut rustici vicinique somno exciti invigilarent, civibus ad moenia convolantibus. Eodem anno pridie omnium sanctorum spectabilis vir Wilhelmus Linnich ordinis senatorii febri et longa tabe excoctus moritur et in ecclesia nostra sepelitur. Eodem anno, mense Novembri, cum serenissimus elector crebra ambtmanni per litteras interpellatione moneretur periculi nobis ab Hassis imminentis, serenissimus nostrorum periculo motus misit belli marescalcum Waal cum expedito milite ad subveniendum nobis Kempensibus iam quasi in extrema linea, extremo periculo versantibus. Qui in civitatem introducti non sine molestia civium et communibus impensis aliquot diebus ibidem haeserunt praeter illum militem iam ante ab ambtmanno conscriptum intolerabilibus nostris impensis alendum, ut omnino patriae status deplorandus videatur ob ruinam, cui proximus. Eodem tempore et anno, ipso die s. Martini quadrumviri una cum coniuratis sese unientes et datis dextris confoederantes Coloniam Bonnamque ad serenissimum electorem profecti onera et gravamina patriae deprecantes eorum sublevamen quaesituri. Quod satrapa admodum indigne ferens omni conatu quidem impedire nisus est, sed illi simili verborum lenocinio saepius saginati in proposito manentes ipsius verbis locum minime dederunt et suum iter prosecuti sunt, quod ille advertens statim accinctis equis tristis et melancholicus eodem profectus est eodem die, eadem fere hora. Novesium vero venientes quadrumviri satrapam prope Novesium subsequentem cum seniore fratre vident et ad hospitia diversa pergentes satrapae opera per Rensing quaeruntur et pacis ineundae et rei componendae gratia interpellantur et fratre viro admodum discreto agente animi civium emolliuntur et datis litteris sigillo satrapae manu munitis animi reconciliantur, cum omnium abusuum hic minime referendorum abrogationem pollicitus esset, quid vero deinceps futurum sit, eventus docebit. Eodem anno, decimo octavo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Novembris, nocturno tempore quidam triobolares et malitiosi homines invidia caeci domino Jacobo Clotio pro tempore secretario urbis nostrae famosos cippi in foro exstantis lapides ante ipsius ostium nequiter suspenderunt. Eodem anno, initio Decembris, nostri praesidiarii Caesariani urbis nostrae milites coniuncti Caesarinsulanis in Juliae ducatum profecti palantes ibidem grassantesque Hassos nobis infestissimos aliquot receperunt eosque invadentes quadraginta circiter vestibus exutos occiderunt, reliquos captivos abduxerunt. Eodem anno, 13. Decembris iterum communitas et quadrumviri concurrentes collato invicem consilio Bonnam magno numero profecti sunt, quibus ad s. Anthonium quidam rustici sese adiunxerunt querelas Bonnae deposituri coram serenissimo electore ratione onerum patriae intolerabilium, quibus se gravari plurimum querebantur. Ii tamen, qui ad s. Anthonium expectaverant rustici, cum iam Willichium cum nostratibus pervenissent, consilio et persuasione Joannis a Nyvenheimb fratris ambtmanni nostri reversi sunt ad praedia, quibus nomine fratris rerum omnium emendationem repromisit. Cives vero parum fidei eidem adhibentes suum prosecuti sunt iter, quo eventu, tempus edocebit. Ambtmannus eosdem insecutus Bonnae praevenire apud principem voluit. Post ubi Kempenam reversi, intellego eosdem Coloniae mansisse interpellasseque illos, qui ibidem degentes Kempenae vero praedia villasque habebant utpote onerum intolerabilium participes, qui audito horum adventu causae patrocinium suscipiunt et regentem Montanum d. Joannem Titz et praedia sua hic habentem simul adierunt. Qui interventu Joannis Nyvenheim fratris ambtmanni, viri admodum discreti, composito negotio Bonnense ad principem iter dissuasit et impedivit datis litteris se quovis tempore, ubi gravaminum abrogationem non curavit ambtmannus, civium subditorumque causam acturum sicque sopitum ad tempus negotium hoc, nondum tamen, ut apparet, sepultum. Eodem anno, in festo s. Joannis apostoli Kempenae in consules eliguntur a senatu Theodorus Honneken, ex communitate Godefridus Porten, qui accepto hoc nuntio aliquot horis se sistere recusans huiusmodi onus in se suscipere recusavit adeo, ut ante vesperum curia non descenderent senatores, qui etiam ob diutinam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

emansionem iam concluserant eius loco quaestorem constituere fisco addictis omnibus bonis eiusdem. Saniora tamen consilia capessens se demum in curia praesentavit morigerumque exhibuit. Anno 40, penultimo Decembris, quae fuit dominica post festum nativitatis domini, circa horam 9. moritur d. Servatius Abelius Greeffradensis, vicarius s. Annae et s. Martini ecclesiae Kempensis, cuius animae deus sit propitius.

Anno 1641, mense Januario, die octavo ad altaris s. Annae beneficium loco d. Servatii promovetur Henricus Reck ex fratre Egberto nepos meus, qui eodem die possessionem altaris et domus accepit. Eodem anno et die alterius vicariae s. Martini vicariam in ecclesia Kempensi accepit Renerus Geuckler, quam antehac idem d. Servatius possederat, etiam adolescens bonae spei. Anno 1641, ipso s. Vincentii die imago sacratissimae et gloriosissimae virginis et deiparae in arca ecclesiae nostrae dependens eleganter restaurata auro et novis coloribus cohonestata et ornata est sumptibus domini Wilhelmi Linnichii affectu in eandem virginem singulari ac propensissimo. Eodem mense et anno pridie conversionis Pauli Hassi imperatori et imperio rebelles ad tria millia transito Rheno nobis et universae dioecesi graviter imminebant et prope Huls haerentes extrema nobis minitabantur, num vero nos an vicinos nostros impetituri, brevi intellegemus. Praesidiarii nostri Caesariani ipso conversionis Pauli mane in occursum eorum prorumpentes in hostes aliquid tentaturi videbantur, quo successu, tempus docebit. Postridie conversionis Pauli intellegimus Hassum castra metatum prope Urdingam loca quaedam igni flammaeque tradidisse, etsi nobis adhuc incomperta, uti lucentis flammae globis ex summitate turris nostrae observare potuimus. Anno 1641 Wassenberga Dusseldorpium, Novesium et Kempenam venit mulier quaedam Wassenbergae in ducatu Juliae habitans, quae quattuor annis gravida nondum enixa fuit. Foetus enim in utero vivens movensque se saepenumero, ut mihi fassa est, lacrimatus est audiente matre et saepicule doloribus, uti parturientium mos est, obruta advenisse partus horam, sed frustra speravit et cum mater aliquot prolium adhuc viventium exsistat, natalem aliquem defectum intervenisse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

minime credit. Cum vero vidua fuerit, ab aliquo profugo Herbipoli nato et scholarcham agente Wassenbergae circumventa et illecebrosis verbis ad concubitum inducta foetum hunc concepit; qui ventri Venerique litans huius iam dictae mulieris neptem scientem hanc iam esse gravidam itidem circumvenit et uxorem demum sibi coniunxit; hic mulieri aut male imprecatus aut maleficio utpote maleficus huic miseriae ansam dedisse videtur. Anno 1641 circa medium Februarii obiit eximius dominus Severinus Binius, aedis metropolitanae Coloniae canonicus, celebris conciliorum omnium olim in ecclesia celebratorum consarcinator et scriptor, senio admodum gravis, multa legans gymnasio Laurentiano moritur. Eodem anno in nepotem meum Joannem Wilmium resignavi vicariam s. Michaelis in ecclesia Kempensi, partim ut me gravi sacrorum mihi fere quotidie incumbentium onere exonerarem, partim ut illum mortuis iam parentibus desolatum et absoluto studiorum stadio in medio lubrici huius saeculi fluctuantem quodammodo in quietis et salutis portum collocarem et transferrem, quod ut illi feliciter cedat, deum animitus rogo. Accidere vero haec mense Februario. Anno 1641 rex catholicus Hispaniarum et Indiarum, ecclesiae catholicae eiusque religionis in Europa scilicet Belgio et Germania ardentissimus defensor, rebellione Catalonensium et Portugallensium et electo novo rege a se deficientium hoc turbulento Germaniae statu, cui contra haereticos succurrere solebat, in se et suos ferrum stringere cogitur hoc unum satagente diabolo, ut ubique praevalente haeresi catholicae ecclesiae status et cursus labefactetur, ipsius regnum et machinationes ubique disseminetur, augeatur praevaleatque consternatis ubique locorum catholicis et insultantibus nobis haereticis. Quo tempore Caesar Ferdinandus 3. Ratisponae haerens pacem Germaniae restaurare et revocare satagens iam a multis annis exulantem cum principibus Germaniae ibidem agit et quoslibet proponentes audiens plurimas principum querelas excipit et rerum omnium amnestiam etsi gravium in Caesarem et imperium commissarum pollicens spem aliquam pacis, utinam non nobis iniquae, omnibus in imperio afflictis concitare coepit. Eodem anno 1641 in fine Martii mensis singulari dei beneficio Caesariani omnes vires

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coadunantes Bannirium in Bohemia iterum terribiliter grassantem in Chamo superiore palatinatus oppido aggrediuntur. Quod ille advertens Sclangium belli ducem cum suo aliquot millium exercitu subito in auxilium accersivit, qui properans eique se iungere satagens a nostris belli ducibus, generoso domino in Geleen et Mercy, animose obruitur, qui sese nostris imparem cernens, fugae se mandans oppido Neuburg ad silvam sese cum universo suo exercitu proripit. Quod oppidum non adeo munitum statim a nostris obsessum, ne in cavea quodammodo conclusus hostis elaberetur. Illi vero carris, vehiculis variisque lignis oppidum circa moenia muniunt ad defensionem sese fortiter parantes. Nostri fetiale immisso deditionem postulant, qui eundem glande petitum sternunt et occidunt. Quod videntes Caesariani ad expugnationem vi adhibita sese parant, iterum tibicinem seu fetialem in oppidum immittunt, quem simili modo tractandum, ni subito sese proripiat, comminantur. Caesariani igitur alia urbis parte tormentorum tonitruis muros sternunt et viam latissimam sibi adaperiunt, quod videntes Sueci de deditione agentes se sine omni conditione nostris committere coguntur. Ex officialibus igitur interceperunt Schlangium ducem, marchionem Duclacensem, Kintzki et Reingravium quendam, acceperunt insuper 25 vexilla, 4000 peditum, 5000 equorum. Invenerunt etiam in eodem oppido ingentem commeatum provisionemque in cervisia, pane et farina aliaque multa. Octodecim officiarii, qui nostris deducentibus Ratisponam ad Caesarem traducti, eidem praesentati sunt non sine multorum ibidem catholicorum volupe et protestantium vice versa consternatione et dolore. Reliqui gregarii milites capti Caesari iurantes eius militiae adscripti sunt, qui nostris coniuncti ipsum Bannirium de suorum strage iam edoctum et hinc fugam in Bohemiam adornantem persequuntur et postrema agminum eius delibantes plurimos sternunt et, ut Ratispona referunt, ad tria millia in saltum ergo Bohemicum fuga delatus Bannirius a nostris circumcingitur. Piccolomini et archidux Leopoldus Wilhelmus a fronte eum adoriuntur, a latere altero a Saxonis electoris militibus angustatur, Geleen et Mercy a tergo eum invadentibus. Relictis ergo post plurimis annonae vehiculis, tormentis aeneis omnibusque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

impedimentis omnino nescit, quo se vertere debeat, demum in Glattaw iterum nostri 2300 hostem adorti caedunt capiuntque inter alia 30 vehicula nitrati pulveris, item aliquot vehicula maiorum glandium globorum et ultra centum maiora aenea tormenta. Quid demum de Bannirio futurum, proximis litteris intellegemus. Benedictus interim in aeternum deus, qui demum nos respiciens adeo potentem et suae ecclesiae insultantem hostem Romanumque imperium ad intimas usque medullas exhaurientem debellare et supprimere dignatus ingenti uti catholicorum ubique gravissime oppressorum et suspirantium gaudio et recreatione, ita haereticorum quidlibet sibi pollicentium et pro libertate religionis iam Ratisponae instantium consternatione et tristitia. Iterum benedictus deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Anno eodem, die mensis Aprilis 26. nostri praesidiarii milites Caesariani intellegentes non mediocrem Hassorum manum transita Wachtendunca iterum in Juliam irruptionem parare et contributionem urgere, quanta igitur possunt celeritate urbe nostra exeuntes eosdem insecuti sunt et prope Heringen eorum vestigia indubitata reperientes, alacriter pergentes demum prope Ruremundam in ericeto Ellmpt eosdem assequuntur, invadunt, sternunt et ancipite Marte oppugnant, donec deditione facta nostris sese captivos traderent, qui eosdem equis suis spoliantes omnes internecioni dederunt nullo habito militaris dignitatis respectu, quo nonnulli enitebant, inter quos fuit quidam Spraenfenger dictus, qui pro vitae conservatione rogans tria millia imperialium dalerorum pro lytro promiserat, sed frustra; glande enim per caput traiectus fide catholicus deflens conscientiae suae statum moritur cum omnibus aliis, duobus solum fuga saluti suae consulentibus. Nostri praeda divites ultra quadraginta acceperunt equos et insignia vestimenta eorum. Anno eodem, mense Maio curavi imaginem unicae spei meae, refugii mei, virginis scilicet gloriosissimae matris dei Mariae coloribus et auro exornari et expoliri, ut et suo tempore, ubi maturus caelo, tempus messis advenerit et iusto iudici praesentandus, illa et meritis suis inexplicabilibus et precibus me caelo adornare et expolire pro infinita sua misericordia dignetur. Eodem tempore et anno, ipso die ss. apostolorum Philippi et Jacobi, nepos meus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex fratre Aegidius Wilmius meus alumnus matrimonii vinculo sese illigans primo ex ambone denuntiatus est cum honesta virgine Christina Stefens, cuius matrimonio auctor matrimonii deus benedicere et sua gratia praevenire dignetur. Eodem anno imagines trium regum chori nostri cum imagine deiparae virginis Mariae renovari et novis coloribus eleganter induci curavimus dominus pastor Godefridus Kempensis, ego Joannes Wilmius et d. Joannes Haffmannus cum duobus sacellanis d. Theodoro Nou et Anthonio N., qui duo unam curarunt restaurari, alii singuli unam earundem, pro qualibet dedimus 5 imperiales daleros, perfecit in fine Maii. Eodem tempore circa festum paschale in fine quadragesimae imago s. Christophori minore cura et ornatu etiam renovata est. Duodecimo Junii dicti iam anni Aegidius Wilmius nepos meus solitis ecclesiae caeremoniis cum sibi desponsata virgine Christina paulo ante dicta copulatus est legitimo matrimonii vinculo, quod deus sua gratia benedicere et stabilire dignetur. Eodem anno, mense Junio, pridie apostolorum Petri et Pauli de novo accepi commissionem a serenissimo electore nostro archiepiscopo Coloniensi visitandarum ecclesiarum inferioris dioecesis Coloniensis adiuncto pastore Anradiensi d. Theodoro Husken, quae commissio eo mihi gravior visa, quo horum temporum iniquitas et malitia maior, viae parum securae et imperii perturbatio adhuc magna nondum compositis Germaniae turbis. Hoc tempore, mensibus Junio et Julio, Hollandi arcem Gennepiam in Clivia obsessam post plurimam suorum stragem demum expugnarunt 26. Julii deditione tamen interveniente, cum acerrime sese defendissent obsessi anno 41. Eodem anno 41, 27. Julii moritur Petrus Hirtz in foro civis Kempensis diutino morbo excoctus. Anno 41, mense Augusto, circa festum s. Bartholomaei iterum inferiorem dioecesim ex commissione serenissimi electoris visitandarum ecclesiarum gratia obiens domum reversus sum 25. Augusti, quo Durstena obsessa a nostris vehementissime oppugnabatur defendentibus se acriter Hassis eam occupantibus et possidentibus. Anno 1641, die Septembris 18. omnium nostrum gratulatione Durstena post aliquot mensium obsidionem feliciter occupata est a Caesarianis, duce belli Hatzfeldio. Eodem anno cum pastore Anradio collega meo Colo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

niam Bonnamque profectus visitationis obitae a nobis rationem dedimus serenissimo electori, apud quem ipso s. Gereonis gratiosissimam audientiam habuimus, uti etiam apud illustrissimum nuntium apostolicum Fabium Chisium, episcopum Neritonensem, qui et mihi potestatem concessit legendi libros haereticos. Eodem fere tempore, ipso s. Eliphii die, mane ipso diei crepusculo reliquiae Hassorum, imperii hostium, se Calcariae, expugnata a nostris iam Durstena, adhuc continentium irruptionem in praefecturam Kempensem facientes, absentibus Caesareis militibus in praesidio alias apud nos exsistentibus et reginam Galliae Coloniam deducentibus, duodecim villas iniecto igne prorsus vastarunt combustis cum suppellectili pecoribus et armentis, e quibus villis fuere Spaßhoff, Gruters et aliae plures. Postero die s. Marthae sacro iterum campana intempesta nocte insonuit et nuntiis referentibus relatum eosdem Hassos prope Linnam iterum irruisse, qua fama milites nostri iam reversi exciti celeri cursu eodem properarunt. Anno 41, mense Octobri, die s. Lucae evangelistae Hassi milites Calcarienses duce Rabenhaubt Kempensibus graviter imminentes vicina loca igne ferroque subicientes timore et terrore omnia replevere nuntiis hinc inde venientibus adventum eorum nobis referentibus, quare continuo maioris campanae sono noctu diuque exciti vicini imminentis admoniti sunt, praesidiarii nostri Caesariani milites ad dioecesis confinia crebro excurrentes limites tuebantur. Deus nos conservet. Timor iste panicus metu advenientis Hassi iam Alpenium et Sanctensem urbem utpote loca viciniora nobis occupantis et extrema nobis minitantis ipso 24. et subsequis diebus adhuc nihil apud Kempenses remisit mense Octobri, sed quotidie sonitu maioris campanae nova pericula annuntiantis renovatus est. Deus nos conservet. Antepenultimo mensis Octobris exercitu trium millium Hassi iterum in dioecesim Coloniensem irrumpentes obsederunt Urdingam et prima nocte tertio eam furiose oppugnantes animose a praesidiario milite, civibus imo et mulieribus reiecti sunt. Postero die serenissimo principe electore vigilante subditum populum militemque hinc inde convocante, tertio die praesentibus nostris militibus et fortiter hostem cum reliquis aggredientibus in fugam coniecti sunt relictis tribus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aeneis tormentis, quibus urbem oppugnabant. Benedictus in aeternum deus idque in festo omnium sanctorum, cum pridie eius diei nostri cives plurimum turbati et in se deinde fabam hanc cudi credentes occupata hac urbe, vesperi ecclesiam intrantes maiorem oratione et gemitu deum eiusque matrem sibi conciliabant, quod et ipso omnium sanctorum profligato iam hoste pro gratiarum actione fecerunt. Benedictus iterum deus. Eodem anno 41 praesidiarii nostri Kempenses duce Conrado de Misten cum adiunctis Linnensibus et Urdingensibus in Cliviam excurrentes 16. mensis Novembris civitatem Clivensem milite Hasso, nostro et imperii hoste, incessam mane circa quintam matutinam adhibitis scalis transcenderunt et effractis malleorum vi portis suae potestatis fecerunt et quidquid hostium iis obvium fuit, caesum et nisi arcis ibidem praesidio, ad quam plerique fugerant, sese salvassent, maiore hostium clade expeditio haec facta fuisset. Civium vero aedes pleraeque spolio subiectae a nostris expilatae sunt. Eodem anno Bruxellae serenissimus Hispaniarum cardinalis, regis Philippi 4. frater, non sine rei catholicae labefactatione mense Novembri huic saeculo valedixit, dictus Ferdinandus. Eodem anno, mense Decembri, mortuus est Theodorus Reepken, custos et aedituus ecclesiae Kempensis, in cuius locum eligitur mea potissimum opera apud d. praelatum interveniente Joannes Gerhardi, meus ex sorore nepos, idque non sine molestia, cum ambtmanni precibus intervenientibus alter ad idem officium adspiraret dictus Joannes Geer. Eodem anno, mense Decembri, ipsis diebus natalitiorum ob adventum Suecorum Hassorumque, hostium Romani imperii, ingens Kempenae et alibi trepidatio et homines panico terrore perculsi nihil aliud fere diebus natalitiis, quam variorum hinc inde advenientium inaudivere nuntiorum minas et terrores. Deus conservet nos. Eodem anno, ipso s. Joannis apostoli, cum omnia essent Kempenae perturbatissima ob metum nobis imminentium hostium tum ob militem novum praesidiarium tuendae urbi imponendum consules eliguntur Joannes Honnecken ex senatu et Jacobus Ambrosii seu Foitz Wilichianus, vir bonus in platea Petri habitans. Eodem tempore a serenissimo electore pro paterna sua in nos sollicitudine missus Kempenam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illustris comes Gronsfeldius, qui rerum bellicarum peritus videret, num civitas novis et munitionibus et vallis et loricis indiga melius fortiusque muniri posset, ut cuicunque hostium incursui sat opportuna resistere iam adventanti, ut ferebatur, hosti posset. Arx etiam sudibus praepilatis, qua ad campos protenditur, in coemeterio nobilium munitur, plurimae corbes loricales praeparantur. Penultimo mensis Decembris, anno 41, in parando vallo ante singulas portas Kempenses rustici ex mandato Gronsfeldii comitis a serenissimo electore huc directi fodere coeperunt civibus oletorum suorum iacturam patientibus tristibus et admodum desolatis. Ultimo Decembris, pridie scilicet circumcisionis domini urbs Kempensis ob metum Hassorum adhuc incertum undique accito milite repletur militibus idque aliquot centuriis peditum, quibus et victum dare et suppeditare debebant cives, neque hoc solum onere gravabantur, sed et receptis et diu continuatis consuetudinibus et privilegiis privabantur, cum portarum custodia deturbatis civibus peregrinis hisce militibus concredita est uti et curiae, ad turrim etiam parochialis ecclesiae duo milites admissi, imo tanta desolatio fuit civium, ut haud procul a communi seditione abesse viderentur et quidam eorum deputati Bonnam profecti querelas ibidem graves apud principem deposuerunt, quo effectu, quia nondum reversi, tempus docebit. Qui Bonnam venientes litteris Gronsfeldii comitis et ambtmanni ad serenissimum datis praeventi principem offensum reppererunt, qui adventu eorum intellecto statim deputatos nostros arresto innexos et per diversa hospitia et diversoria eosdem separatos domo pedem eosdem efferre vetuit et viginti sex articulis propositis examinari stricte curavit. Reliqui cives intellegentes horum Bonnae arrestationem consules aliosque quadrumviros Coloniam miserunt, qui syndicum pro civitate Kempensi Coloniae in huiusmodi difficultatibus constituentes eundem Bonnam ad liberandos suos concives destinare satagebant, quo eventu, tempus edocebit. Clerus cum civibus hisce difficultatibus et hostium metu implicitus, ne quid rerum spiritualium neglexisse videretur, ad deum suum refugium quaerens preces 40 horarum in ecclesia parochiali Kempenae omni populo circa festum Epiphaniae ex ambone indici curavit,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quas tanta diligentia tribus diebus populus frequentavit, ut ultimo die, quo conclusae fuerunt processione circa coemeterium cum venerabili, quod ego deferebam, tanta fuerit populi frequentia et multitudo circa sextam horam vespertinam venerabile prosequens, ut circuitus populi instar annuli initio et fine carentis populi constipationem non caperet, mirantibus omnibus et praecipue militibus in praesidio hic positis. —

Reliqua, quae in Wilmii chronicis scripta sunt, proximo anno edentur.

Corrigendum.

In vers. 6. pag. IV. lege »septimi decimi.«

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quas tanta diligentia trib timo
die, quo conclusae fuer cum
venerabili, quod ego de a et
multitudo circa sextam ens,
ut circuitus populi insta con-
stipationem non caperet tibus
in praesidio hic positis.

Reliqua, quae ximo
anno edentur.

In vers. 6. pag

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf